


PALAESTRA

LATINA



ANN XXXIV (Fasc. III) — N. 187
M. SEPTEMBRI — A. MCMLXIV

PALAEstra LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii CAESARAUGUSTAE edendi

PRETIUM MITTATUR OPORTET AD ADMINISTRATOREM:

San Antonio M.^a Claret, 37 - ZARAGOZA

vel ad Procuratores singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - Barbastro (Huesca)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetas; in Gallia: 10 francs; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

PALAEstra ADULESCENTIUM: Constat in Hispania et America Hispanica: 25 pesetas; in Gallia: 3'5 francs in Italia: 350 libellis; in Germania: 2'5 marcis; in reliquis civitatibus: 0'80 dollaris.

Depósito Legal L - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

INDEX

ANN. XXXIV (Fasc. III) N. 187

M. SEPTEMBRI A. MCMLXIV

J. JIMENEZ, C. M. F., <i>De Hugone Henrico Paoli clarissimo scriptore et poëta latino</i>	347
A. PAGANO, <i>De Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Melchioris de Polignac, quod ANTILUCRETIUS inscribitur, poëmate</i>	360
J. AMBROSI, <i>Iter Dantis in Deum: Purgatorium: Cato Uticensis, Angelicus Nauta</i>	369
J. M. MIR, C. M. F., <i>Nova et Vetera: In aëriportu II</i>	374
J. ARAMENDIA, C. M. F., <i>Per Orbem</i>	380
J. IJSEWIJN, <i>Conspectus poëtarum Latinorum saeculi vicesimi</i>	384
BIBLIOGRAPHIA, I. González, Philoponus, A. Marqués	390

PALAEstra ADULESCENTIUM

R. Pereson, <i>De Cicerone et Caesare scriptoribus</i>	397
J. Beltrán, <i>Veniant mures. — R. Bosch, Rusticationis dies. — E. Alloza, Quercus et arundines</i>	398
P. Ramos, M. Gutiérrez, F. Salas, <i>Facetiae. — Certamen</i>	399
Nugator, <i>Ludicra verba</i>	400
M. Fonts, J. Pulleiro, G. Ndongo, J. A. Latorre, <i>Facetiae</i>	402
G. Gregorio, A. Schmitz, E. Esono, J. Llamas	403
D. Guimerá, A. Pérez, E. Simón, P. Ramos	404

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXXIV (FASC. III) — N. 187

M. SEPTEMBRI

A. MCMLXIV

De Hugone Henrico Paoli clarissimo scriptore et poeta latino

(*Natus 8.V.1884; obiit 25.XI.1963*)

Omni laude cumulatus, Hugo Henricus Paoli, vir humanitate, ingenio, litteris, claris virtutibus praeditus, VII Kal. Decembribus, superioris anni MCMLXIII, Florentiae, ubi natus erat, sine strepitu, ne suos molestiam afferret, repente vitam amisit. Domesticis tamen et amicis magnus dolor fuit; nam, quamvis eorum animus jam pridem supremum ejus vitae caenum praesagiret, eumque viderent —ut sapientem— animo fortí moriendi necessitatí aequè annuentem, tam cito tamen mors et improviso ei obrepserit, ut post fatum omnes eum amare lugerent. Luget uxor virum, liberi patrem, socii et discipuli ubique terrarum degentes magistrum et amicum; lugent docti professores suavissimum collegam, luget Florentina tellus praeclarum filium, luget Italia tota eximum poëtam, lugent denique latinae litterae earum celeberrimum cultorem¹.

Lenitudini sit omnibus et medelae tanti viri clara merita virtutesque recolere; ipsius enim exemplorum recordatione facile dolor lenietur et ad ejus vestigia persequenda omnes trahemur. Pauca igitur afferam de vita, de editis operibus, de virtutibus, quibus desideratissimus noster Hugo ornatus erat.

1. Hugonis Henrici Paoli merita, inter alios, hi qui sequuntur praedicaverunt: A RONCONI, *Profilo: Hugo Henrico Paoli*, «Atene e Roma», 1956, pp. 211-214; *Antidoron Hugo Henrico Paoli oblatum*, «Miscellanea Philologica», Università di Genova: Istituto de Filologia Classica, 1956, pp. 336; MARIO BONARIA, *Ugo Enrico Paoli*, Ibidem, pp. 13-40; *Studi in onore de Ugo Enrico Paoli*, Felice Le Monnier, 1956, pp. XX-784; N. CASINI, *Hugo Henricus Paoli*, «Vita Latina», Janvier, 1958, pp. 66-73; JIMÉNEZ DELGADO, *Ugo Enrico Paoli*, «Helmantica», 11, 1960, 287-310; C. GRASSI, *De Hugonis Henrici Paoli carminibus*, «Latinitas», 11, 1993, 202-210, N. CASSINI, *Hugo Henricus Paoli*, «Latinitas», 12, 1964, 2-6; R. PAONE, *In funere Hugonis Paoli*, «Vita Latina», mense martio 1964, n.º 21, p. 24.

I. — De ejus vitae cursu

Hugo Henricus Paoli natione, moribus, ingenio Florentinus, jam puer, sed praesertim adulescens, tanto studio humanioribus litteris vacavit, ut futuram ejus gloriam clarumque nomen tum magistri tum sodales divinarent. Atque revera, sensim sine sensu ipse, proprio Marte, non tantum primam et secundam institutionem feliciter superavit, sed etiam supremos in universitate gradus maxima cum laude adeptus est. Ubi primum laurea in litteris anno MCMVI Florentiae insignitus est, graecis mox et latinis disciplinis in scholis Mediae quam dicunt Institutionis operam dedit. Deinde vero, postquam in Urbinate universitate, anno MCMXVIII, laurea in utroque jure ornatus est², et classicas disciplinas et juridicas simul explicavit, primum Florentiae in studiorum universitate jam ab anno MCMXXV, quam ipse piissime coluit et labore scriptisque illustravit, deinde Genuae annis MCMXXXVIII-MCMLIV, demum iterum Florentiae usque ad expletum septuagesimum aetatis annum.

In erudiendis adulescentibus, quod munus ipse florente adhuc aetate susceperebat, usque ad emeritam missionem acceptam, sine ulla fere temporis intermissione perseveravit; pauci tantum excipiendi sunt anni, in quibus, propter Italicae rei publicae varios casus et eversiones, per diversas Europae regiones exul vagare coactus est. Qua vero tempestate, quamquam multa eum passum, multa quoque didicisse constat et de rerum et de personarum condicione et fortuna et de ipsis disciplinis quas ipse in Florentina universitate cooperat docere. Numquam optima spe destitutus, sed sua semper sorte contentus, tam aequo animo omnes exilii molestias pertulit, ut numquam a litterarum et juris studio desisteret, immo exilii otium tam sapienter adhibuit, ut majore, si posset, ardore classicis litteris vacaret et in scriptoribus et poëtis totius Europae perscrutandis et interpretandis dies noctesque consumeret.

Dum Parisiis et Bruxellis praesertim moraretur, ingenio quo erat candido et acuto praeditus, multos sibi optimosque conciliavit amicos, quos in posterum grato animo semper coluit. Ea vero tempestate, opus *De senectute* conscripsit, quod postea, anno MCMXLII, Florentiae, in aedibus Sansoni, sub commenticio Anonymi Namurcensis nomine, primum edidit Lepida est et festiva tractatiuncula, in qua, Ciceroni, quasi per jocum, contra dicit negatque senectutem esse jucundam. Opus est magni momenti, non tantum

2. Ipse Hugo Henricus Paoli carmen quoddam composuit ad collegas Urbinate. dictatum (cf *Carmina*, pp. 39-40), in quo assidue se Urbini dulcissimam et tenacem memoriam retinuisse fatetur, ex quo duos annos continuos (MCMX-MCMXII) in puerili ludo «Ginnasio Raffaello» parvos discipulos latinam linguam docuit. Huc semel atque iterum anno praesertim MCMXVI revertit, ut, perfecto jurisprudentiae studiorum curriculo, lauream in utroque jure consequeretur; nec unquam hanc urbem, haec loca, haec amoenissima rura diligere ac desiderare destitit.

ex re rationeque et via, sed etiam quia in ejus praefatione auctor, quae tum temporis sentiret quaeque ficeret, aperte patefacit. En tibi, lector, haec nonnulla ex praefatione sumpta verba:

«Quo diligentius, lector humanissime, certior fias, unde mihi in mentem venerit ut ignotam hanc tractatiunculam divulgarem, vetus est mihi memoria repetenda peregrinationis cujusdam, neque brevis neque injucundae, per Belgicas urbes. Cum igitur Bruxellis diu essem moratus proficisciendi que consilium in dies differrem, quo, quamquam caritas patriae me ut Italiā reviserem impellebat, ab amicis, quos multos apud Belgas habeo eosque summa familiaritate conjunctos, multa orantibus detinerer, persuasit mihi quidam (quis ille fuerit e memoria excidit) ut Namurcum proficiscerer, nobilem ibi bibliothecam visum ab Jesuitis patribus diligentissima cura adservatam.. Parui admonenti atque, paucis diebus intermissis, Namurcum petii... Postquam, ut inter peregrinos solet, multa de variis rebus disserimus (rogabant enim qui essent Italicarum rerum status, quae condicio studiorum, qua ratione discipuli Latinam linguam in ludis discerent; ipse contra, percontando atque interrogando, illorum de nostra gente opinionem elicere conabar), in bibliothecam tandem me adduxerunt... Zotheculam ingressi sumus. Di boni, armario patefacto, quam multa, quam pretiosa, quam incredibili ac nova arte confecta volumina ille protulit! Longum est omnia enarrare... Liber alter manuscriptus erat litteris longiusculis subtilissimo ductu exaratus... Inscrivebatur *De senectute*; Ciceronis opusculum putavi, jamque manu removeram, quo cetera attentius inspicerem, cum comes ille meus:

— «Quin legis aliquid?, inquit; majore fortasse consideratione liber iste est quam putas».

Jn manus igitur resumpsi... — «Nemo adhuc librum edidit?, quae sivi».

— «Nondum, inquit, quod quidem sciā».

— «Licetne attentius legere atque, si tanti esse videatur, typis imprimentum curare?».

— «Licet, inquit; quin etiam... Liber tuus est, dono tibi habe».

Gratias egī quam plurimas... Ubi primum Bruxellas in diversorium meum rediī, librum attentissime legi... In extrema pagina scriptum erat: — «Liber explicit *De senectute*, quem M. Tullius Tiro, Ciceronis libertus, composuit, qui, cum idem ac patronus de ceteris rebus omnibus sentiret, se hac in re ab illo discrepare apertissime semper fassus est, quod senectutem potius vituperandam atque deprecandam quam laudibus extollendam putaret».

Hac ficta narratione et lepida tabula ipse singulari modestia opus sui ingenii celare curat; sed cum anno MCMLXII illud iterum edidit apud Felicem Le Monnier, se illius esse auctorem aperte profitetur³. Tum vero Hugo noster scriptor evenerat in Italia et extra Italiam fama inclita haud parva.

3. *De senectute*, F. Le Monnier iterum edidit a. MCMLXII; editio prima Florentiae in aedibus Sansoni, a. MCMXLII.

Amicorum et familiarium gaudio receptum, eum, anno MCMXXXVIII, iterum in Italia videmus, et primum quidem in Genuensi universitate litteras latinas docentem, postea vero ab anno MCMXLIV, Florentiae et classicas litteras et jus atticum magna alumnorum laude et frequentia interpretantem. Aliarum rerum omnino alienus, se totum fungendo docendi muneri pro discipulis devovit, quos semper maxime dilexit et a quibus stipatum saepe videres; infans cum infantibus factus, adulescens cum adulescentibus.

Plurima exstant ejus ingenii et laboris testimonia in operibus et carminibus variae indolis his annis editis. In carmine ad collegas Januenses exilium suum meminit his verbis:

• Maestum me quondam fractumque dolore recenti
 Collibus exceptit Janua pulchra suis,
 Janua, luce dies quae circumfusa per omnes,
 Spectat, marmorea mole superba, mare.
 Exulem ab urbe mea me tunc solata benigne
 Adloquiis, natum mater ut alma, piis,
 Tempore quo mater, truculento prona tyranno,
 In maerore meo dura noverca fuit,
 Pacem, quod miseris unum solet esse levamen,
 Hos inter cives obtulit illa mihi.⁴

Sed ejus fama nomenque magis in dies crescebat. Unde nihil mirum si praecipuae in Europa universitates Hugonem nostrum requirebant, ut doctrina et ingenio quo pollebat clarissimo, magistros et discipulos doceret atque illustraret. Difficile sane est omnes nunc universitates numerare in quibus, vertentibus annis, de linguis classicis et praesertim de jure attico et de rebus institutisque graecis et romanis disseruit; constat enim eum lectiones varias explanavisse Romae (1939-1940, 1949-1950), Bruxellis (1946), Friburgi (1947-1949), Amstelodani (1947), Oeniponte (1948), Lutetiae Parisiorum (1948-1956), Barcinone (1951-1953), Berolini (1951-1954), Cataniae in Italia (1954-1955), Patavii (1955) et alibi. Ipse grato animo in carmine ludicro ad collegas Belgicae Societatis memorat his verbis:

• Tum vero incipio peregrinans ire per orbem,
 Belgica terra procul sive Batava vocat,
 Vidulo et inclusum circumportare Solonem,
 Cecropias leges sedulus usque docens,
 Accipit Amstella, urbs pulcherrima, doctaque Leida,
 Bruxellae fiunt altera paene domus;
 Alma Lutetia me dilexit, lumine fulgens,

4. *Carmina, Florentiae*, F. Le Monnier, 1961, p. 6: *Ad collegas Januenses*, vv. 9-18; cf. etiam ibidem, pp. 232-233 *carmen XC ad Petrum Calamandrei, sodalem Florentinum ejusdem casus partipem*.

Nec minus Arno unquam Sequana carus erit,
 Ac dedit in campo mactandos cernere tauros,
 Explico dum leges, urbs Catalaunia mihi.
 Friburgum, Basilea mihi quam saepe recurrent,
 Monticolarum urbes, Bernaque cincta nive!
 Vos quoque Francones Erlangensesque sodales,
 Longos post menses ut memorare juvat!,⁵

Atque re vera praeterire nequit Hugo noster Erlangenses sodales et universitatem, ubi et sapienter ipse docuit et magistrorum consensu et plausu, Doctor honoris causa renuntiatus est.

Cum vero eo fama crevisset ut ipse non tantum magister summa doctrina excultus praestaret, sed etiam calidus orator et poëta egregius undique haberetur, aetate jam proiectus, ad omnia fere fausta celebranda intra et extra fines Italiae invitari coepitus est. Unde factum est ut nullus fere doctorum coetus his superioribus annis fieret, nulli docto viro honor concretus, nullus denique laetus dies fere commemoratus, quin Florentinus vates arcesseretur ut inter pocula, de re quae ageretur, carmina latina caneret. Inde illa praeclara carmina convivalia, quae omnium semper admirationem suscitabant et propter ingenii vim aciemque et propter sermonis copiam et elegantiam. Nonnulla horum carminum in volumine congesta sunt, quod amici et miratores Hugonis Florentiae edendum curarunt, ut magnum exstaret clarissimi hodiernae aetatis poëtae latini monumentum⁶.

Qui anno MCMLVI Avennico de lingua latina instauranda primo conventui adfuimus, vix admirationem continere potuimus et gaudium, cum in splendido candelarum convivio in ampla Pontificum aula habito, Hugonem poëtam audivimus extemporalem quoddam carmer recitantem, in quo civitatis praeteritam gloriam memorantem una cum futurae linguae latinae fortuna haec verba aures permulcebant:

«Me, Provincia, quis tua rursus ad arva reduxit,
 Mite sub hoc caelum, terra beata, tuum,
 Ostentans veteres ubi surgit Avennio turres,
 Ars metuenda olim Pontificum domus,
 Ad ioca quae cecinit digna voce Petrarca,
 Cursu quae lambit Sorgia lenta suo?

 Inter et hos colles, dilecte Capelle, sodales
 Junxit quos hodie lingua latina vetus,

5. *Carmina*, pp. 11-12: *Ad collegas Belgicae Societatis*, vv. 17-30

6. *Carmina*, Florentiae, apud F. Le Monnier, 1961, pp. VIII 364, quod opus edendum curaverunt V. Arango Ruiz, Q. Cataudella, L. Banti, A. La Penna, V. Bartoletti, A. Ronconi, A. Biscardi, N. Terzaghi.

Pocula dum fervent, fraterno corde saluto,
Ipsum dum profert omnia fausta merum»⁷.

Neque silendum quanta animi fortitudine labores aerumnasque, quibus
vita humana abundat, pertulerit. Ipse sponte patriam reliquit ut exul per
Europae fines vagaret. Petro Florentino aperte fatetur:

•Qua nil dulcius est patriam nunc, Petre, reliqui
Annos jam multos exul in urbe mea.
Advena factus eram, turba dominante nothorum:
Corvis in nigris plectitur albus olor.
Ingenuos semper cives odere metoeci,
In patriaque sua nemo propheta fuit.
Olim quae misero Florentia dura negavit,
Mater ut alma, mihi Janua sponte dedit.

•
Florentina fuit virtus odisse tyrannos,
Turpes mercedes lucrificumque jugum»⁸.

Sed eum numquam actae vitae piguit; e contra illius memor, sine aegri-
tudine, ita carmine cecinit;

•Non me, si cursum conor remeare peractum
Vitae, quam duram fata dedere, piget»⁹.

Quod tamen non obstitit quominus anno MCMXXXVIII in morte filii
natu minimi, quem in primis diligebat, virum tam aequo animo praeditum
et plerumque festivum, tam in suis quam in aliorum casibus, eum videres
secum ipsum amare colloquentem lacrimasque illas quas diu abdiderat se-
creto effudentem. In carmine, cui index est «Annorum cohortes», hoc
fatum commemorare nequit; innuit tantum:

•Tristior ac quantum tulerit mihi sexta doloris
Mens percussa malo vel memorare vetat»¹⁰.

Tam alte sentiebat Paoli ut, quamvis ceterum compos sui esset, inter-
dum animi sensus continere nequiret nec eos verbis exprimere, sed lacrimis.
Quid mirum igitur si Hugo Henricus Paoli suorum animos et amicorum
—quorum magnum numerum ubique terrarum recenseret— amore, consue-
tudine, suavitate sermonis et affectuum, sibi omnino devinxerit¹¹. Itaque,

7. *Carmen Aennicum*, cf. *Carmina*, pp. 47-48, vv. 16, 21-24.

8. *Voluntarius exul*, cf. *Carmina*, p. 232; *In metoecos*, vv. 13-14, p. 233.

9. *Annorum cohortes*, vv. 51-52, cf. *Carmina*, p. 5.

10. *Carmina*, p. 4, vv. 35-36.

11. Ipse de consuetudine qua cum amico Quintino Cataudella usus est palam loqui-
tur. Cum anno MCMLV Catinam petisset, haec de se ipse dixit: «Hugo Henricus Paoli,
poëta Tuscus, si poëta est dicendus qui carminum studio idcirco indulget, ut temporum ini-
quitatem obliviscatur, neque curet omnino favente an invita Minerva versus ipse faciat, cum

cum recens fere octogenarius, meritis onustus cedidit, omnes ejus casum lugebant et praeclera ejusdem merita laudabant. Paucis abhinc annis Rei publicae Italicae Praeses, ob ejus inclita merita et assiduos labores in tradendis disciplinis, aureo doctorum numismate primae classis sollemniter eum decraverat. Neque immerito, cum tot fuerint tamque praeclera opera ab eo edita et tanto amore atque studio litteras fovendas curaverit.

II. — De Hugonis H. Paoli editis operibus

Omnia et singula recensere climi, poetae Paoli opera, conscriptiones, carmina, opus majus esset quam paterentur vires et folia horum commentariorum caperent. Qui singulari quadam mentis sagacitate et versatili acumine fuerat praeditus, quique diu multumque pluribus disciplinis vacaverat, plura attigit antiquorum cacumina, et de graecorum romanorumque vita, moribus, institutis multa assidue cogitavit et scripsit. De scriptoribus quoque tum antiquis, tum recentioribus, tum hodiernis, tam multa perquisivit tamque perspicue explicavit, ut eorum recondita ac fere secreta ante oculos projecta ab eo diceret: cubicula videlicet, epulas, tabernas, ludos, mercium inter gentes commercium, puerorum et adulescentium apud magistros institutionem, connubia, publica et privata iudicia, funera, laudationes, cet.¹².

Sed, praeter antiquorum vitam et disciplinam, atticorum praesertim jus legesque Hugo apprime calluit, qui, cum esset hujus rei maxime peritus, multa de his rebus omnium plausu vulgavit atque de eisdem saepissime disseruit. Cum vero aperte comperisset quantum ad antiquorum jura recte interpretanda classici scriptores opis ferrent, eis perlegendis atque evolven-

Catinensis Studiorum Universitas, auctore Caesare Sanfilippo ac summopere Quintino Cataudella nitente, Litterarum Facultatis Praeside, Catinam illum vocavisset, ut de jure Attico varie dissereret, patria urbe relicta, in Siciliam adpulit, cum nix alta Aetnae culmen et latera etiam tum operaret, sed maris litus ita tepesceret, ut sub meridiem frequens juvenum turba in Ionicis undis lavaretur. Magnus omnium concursus, quae est Sicularum in avenes hospitalitas, factus est. In aula «Magna» quae dicitur, singulari audientium frequentia, Florentinus hospes quaerere coepit, num in Plautinis fabulis discerni posset qui ex jure Attico in illas defluxisset. quid ex jure Romano. Diu locutus est... Dies fere quindecim Hugo Henricus Catinae est moratus, nec quidquam unquam his diebus gratius sibi fuisse dictabat; nam praecipua ventendi causa ea fuit, quod jamdudum optabat, ut Quintinum Cataudella conveniret, cui mutuo ac prope fraterno amore ita est conjunctus, ut vulgo alter alterius «frater Siamensis» vocetur. Firma haec atque, ut ita dicam, paene Siamensis amicitia tum exorta est, cum sex continuos annos illi in Januensi Athenaeo munera sua concordi animo exercuerunt, communia pericula, in turbidis illis temporibus, domesticae tyrannidi adversati, obierunt, sodaliciam fidem invicem experti sunt... Cf. *Carmina*, p. 298

12 *Vita Romana*, Firenze, Le Monnier, Septima editio a. MCMLV (*Versiones in varias linguis*), pp. XXIII-433; *Uomini e cose del mondo antico*, Firenze, Le Monnier, 1947, pp. VIII-544 (*Versiones in varias linguis*); *La donna greca nell'antichità*, Firenze, Le Monnier, altera editio 1955, pp. 186; *Il cane del popolo*, Firenze, Le Monnier, 1958, pp. XX 644.

maximam operam dedit. Unde usque ad extremam aetatem eos scriptores, comicos praesertim, legebat eorumque fabulas interpretari conabatur. Ex operibus quae ad infirmam paginam affero, facile perspicias quanto animi ardore et diligentia sese dederit ad ea evulganda quae ad atticorum jus publicum et privatum pertinerent¹³. Ipse Paoli in carmine ad amicos Hispanos palam de amore et cultu legum loquitur:

«Me cupientem ad vos cupiens Florentia misit
Adsuetum leges tradere Cecropias:
Urbs legum impatiens veteres amat improba leges,
Urbis me fateor moribus esse meae.
Qui legesque suas odit laudatque remotas,
Quid nisi Tuscus erit? Solus an ille sapit?
Adduco comitem qui quondam rexit Athenas:
Attica jura Solon condidit, ipse colo.
Me sequitur tacite venerabilis umbra Solenis,
Semper quam statui carpit et ille viam»¹⁴

Philologus emunctae naris, in graecorum romanorumque scriptorum evolvendis et explanandis diu multumque versatus, numquam aliorum somniis fabulisque indulxit, sed omnia ipse doctrina et documentis comprobare satagebat, priusquam in libris reciperet aut discipulis in scholis traderet. Plura exstant opera hujus rei assiduique laboris testimonium¹⁵.

Neque antiquos tantum scriptores investigavit; recentioribus quoque vacavit in eosque incubuit, omnem Latinitatem amplexus, et quam viri aetatis illius, in qua litterae restitutae et quasi renatae dicuntur, coluerunt¹⁶, et quam scriptores qui «macaronici» sunt dicti adhibuerunt et festive propagarunt. Eam quoque Latinitatem ipse attente investigavit et de ipsa judicium tulit¹⁷. Immo et scriptores qui hodierna aetate lingua latina in Italia usi sunt

13. *Studi di Diritto attico*, «Publizazioni dell'Università di Firenze», 1930, pp. 344; *Studi sul processo attico*, «Studi processuali», 2.º vol. Padova, Cedam, 1933 pp. XXVII-219; *Comici latini et diritto attico*, Milano, 1962.

14. *Ad amicos Hispanos*, vv. 23-32, cf. *Carmina*, p. 23.

15. *Lar familiaris, letture scelte da Cicerone, Orazio, Plinio, Marziale a illustrazione della vita privata dei Romani*, Firenze, Le Monnier, 1929, pp. VIII-383; *Marziale, epigrammi scelti*, Firenze, Le Monnier, 1931, pp. XXIII-219 (altera editio, a. 1934); *Orazio, satire ed epistole scelte e commentate*, Firenze, Le Monnier, 1932, pp. XI-129 (altera editio 1955); *Plinio, lettere scelte, precedute da cenni introduttivi sulla vita privata dei Romani*, Firenze, Le Monnier, 1933, pp. VI-256 (altera editio a 1954); *Orazio, carmi scelti e commentati*, Firenze, Le Monnier, 1949, pp. 78; *Platone, La repubblica*, Firenze, Le Monnier, 1927, pp. LX-126 (tertia editio 1954).

16. *La tragedia del Poliziano in Laurentium Medicum*, SIFC, XVI, fasc. 3, 1939, pp. 165-176; *Il latino degli umanisti*, cf. «Storia Illustrata della letteratura Italiana», Milano, Vallardi, 1942, vol. I, pp. 315-318; *Il latino del Petrarca e gli inizi dell'umanesimo*, cf. «Publications la Société d'Études Italiennes», 1944, pp. 57-67.

17. *Il latino maccheronico*, Firenze, Le Monnier, 1959, pp. VIII-260.

ad cogitata sua sensusque exprimendos, magna cura legit ut de ipsis sententiam proferret¹⁸.

Sed Hugo Henricus Paoli in libris edendis ad scholam ordinatis unus inter omnes eminuit. Adulescentorum enim commercio et societate devinctus, quibuscum plus quinquaginta annos in Lyceis et Universitatibus magna cum familiaritate egit, ad eorum mentes informandas et erudiendas, plura opera edidit, in quibus doctrina praeceptis didacticis et hodiernae paedagogiae maxime aptatur, utpote a viro conscripta qui, pueris assuefactus, optime sciret quae pueri et adulescentes sentirent quidve cogitarent; unde fit ut opera in puerorum commodum a Paoli conscripta, sive sint didactica sive festiva, semper aptissima sint et ab omnibus accepta, cum videlicet ad animos relaxandos sapienter in eis utile dulci misceatur.

Ejusdem vero scripta didactica neque pauca sunt neque parvi momenti, ita ut maxima eorum pars semel iterumque edita sint. Eminent tamen inter opera didactica —meo quidem judicio— opus cui index est *Scrivere latino*¹⁹. In eo enim magister Paoli, quas doctrina et usu percepérat artis regulas, quaque discipulis sapientissime proposuerat, ut latine loqui et scribere possint, eas paucis verbis, sed pluribus illustratas exemplis, omnibus ediscendas tradit.

Sunt etiam a clmo. v. Paoli opera festiva sive carmine sive soluta oratione conscripta. Liceat tantum haec pauca memorare: *Musa Jocante*, *Aenigmata*, *Versus diabolici altique lusus*, quae carmina varia continent quibus puerorum animi relaxentur et in scholis a curis et lassitudine avertantur. In eis auctor vim sui ingenii quasi per jocum patefacit²⁰. Sed soluta oratione nonnulla quoque opera edidit in alumnorum commodum, in quibus magnam etiam ingenii aciem perspicies; sunt, ex. gr., opera quibus indices: *Fabellae tres*, *Varius libellus*, *Indorum sapientia*, *Pinoculus latinus*²¹. Sed omnibus forte prae-

18. *Prose e poesie latine di scrittori italiani*, Firenze, Le Monnier, 1926, pp. XI-208 (quinta editio a. 1937).

19. *Scrivere latino. Guida a comporre e a tradurre in lingua latina*, Milano, Principato, 1948, pp. VIII-562 (altera editio, 1952, tercia 1957); *Liber primus*, Firenze, Sansoni, 1936 (septima editio, a. 1951); *Grammatica della lingua greca*, Firenze, Le Monnier, 1938, pp. 384 (novena editio a. 1955); *Sintassi latina*, Firenze, Le Monnier, 1-46, pp. VIII 390 (altera editio, a. 1954, tercia a. 1957); *Nozioni elementari di prosodia e metrica*, Firenze, Sansoni, 1937, pp. 64; *Apes Matina. Letture latine per la scuola media*, con illustrazioni di P. Bernardini, Firenze, Sansoni, 1957, pp. VI-520; *Index emendatae Latinitatis*, Firenze, Le Monnier, 1962, pp. VII-158.

20. *Musa locante*, Firenze, Le Monnier, 1929, pp. 43; *Aenigmata*, Firenze, Le Monnier, 1944, pp. 51 (Sub indice *Syphosius alter, primum aenigmata edita sunt in commentariis Atene et Roma*), IX, 1928, nn. 1, 2; X, 1929, n. 1. Nomen «Syphosius» a Caelio Firmiano Syphosio, poëta latino saec. IV, mutuatum est); *Versus diabolici altique lusus*, Firenze, Le Monnier, 1962, pp. 76.

21. *Fabellae tres*, Firenze, Le Monnier, 1944, pp. 111; *Varius libellus*, Firenze, Le Monnier, 1961, pp. 74; *Indorum sapientia* (una cum «De senectute»), Firenze, Le Monnier, 1962, pp. XX-114; *Pinoculus Latinus*, Firenze, Le Monnier, 1962, pp. 128.

ponendum sit parvum *De senectute* opus, de quo jam antea mentionem feci²². In eo Florentinus scriptor, Ciceroni quasi repugnans, disputat lepidis verbis et sententiis de gravibus senectutis incommodis, sed sub illis lepidis verbis multa invenies quae ad seria cogitata ducunt.

Pro pueris et adolescentibus alia quoque opera scripsit, quae narrationes, fabulas, curiosa et jocosa continent, vel proprio Marte inventa vel in latinum ex aliis linguis conversa; quorum in genere est in primis narratio quae *Ciceronis filius* appellatur, bis millesimo vertente anno a Cicerone nato, primum edita²³. Haec narratio aptissima est ut in scholam inducatur ad cultum vitamque Romanorum rite cognoscenda, cum re vera mores et instituta populi romani tam publica quam privata sermone simplici simul et imungulis illustrentur.

Neque praeterire possumus alia Paoli parva opera, quae pueris in deliciis sunt, ea videlicet in quibus eleganti sed simplici carmine fabulae pueriles, festivae historiolae, puerorum facinora et malefacta enarrantur²⁴; opera sane haud magni molis sed haud parvi laboris, quamvis plerumque agatur de scriptis tantum in latinum conversis. Auctor ipse rei difficultatem his verbis confitetur:

«In his aenigmatibus convertendis dupli me necessitate adstrictum videbam, nam et peculiare illud quod in hoc carminum genere eluceret servandum erat, neque tamen jejunius aliquid nimis a latinis exemplaribus abhorrens par erat proferre. Utrumque igitur, quod res ipsa postuiare videbatur, me adsecuturum speravi, si libertate quadam usus, in iis dumtaxat quae ornandi causa addi possent, id curiose ac diligenter servassem quod in inveniendi genere illarum nationum proprium et domesticum esset. Nimis fidus interpres esse nolui; neque tamen omnia variare ac miscere fas mihi putavi: quaenam adjunxi, nonnulla immutavi, nihil dempsi. Vernacula illa festivitas, quam singula carmina argute exprimunt, ne in alienum sermonem tradita languesceret summa ope elaboravi. Num id adsecutus sim, ipse judicabis, lector; me non parvi laboris opus adgresum esse illis quidem manifestum fiet qui aliquid simile temptaverint»²⁵.

Sed absque ulla dubitatione, gloria maxima Hugonis nostri carmina latina erunt; ipse enim «latinorum versum scriptor fuit elegantissimus»²⁶ et

22. Cf. notulam n. 2.

23. *Ciceronis filius*, Firenze, Le Monnier, 1958, pp. 96 (editio quinta, a. 1961).

24. *Fabellae pueriles*, Firenze, Le Monnier, 1960, pp. 156; *Maximi et Mauritii malefacta*, Firenze, Le Monnier, 1959, pp. 64; *Petrus Ericius*, Firenze, Le Monnier, 1960, pp. 32.

25. Cf. *Versus diabolici*, p. 57.

26. J. IJSEWIJN-JACOBS, *Conspectus poetarum Latinorum saeculi vicesimi*, «Euphrosyne», 3, 1961, p. 178; cf. etiam eundem, *Latijse Poëzie van de Twintigste eeuw*, Lier apud Belgas, a. 1961, pp. 43, 57, 78 79.

poëta latinus, qui «viva, vivida, vigentia carmina» finxit²⁷; haec vero carmina prius hinc illinc vulgata et a doctis viris probata et laudata, nunc amicorum cura et expensis in eleganti volumine collecta sunt, quod auctori sit monumentum aere perennius²⁸.

Ceninit non vetusta tantum et obsoleta, sed recentiora et hodierna. Tanta in eo fuit personarum copia rerumque varietas, tot lyrae sonus, tot modi sive acuti sive graves sive varie mixti, ut classicis poëtis latinis aemulum eum diceret et quasi aequalem. Ejus Musa et conviviis et amicorum nuptiis non sine salibus aderat, et amicis maestis solacium praebebat, gratulabatur laetantibus; neniolis eorum funera celebrabat festivisque carminibus natales recolebat. Carmine praeterea Hugonis Musa praeteritarum rerum memoriam revocat, narrat fabulas, dulcia loca commemorat, omnia carmine ita canit ita effinxit, ut forte nemo sit hodie qui argutius et elegantius latine de rebus tam variis carmina pangere possit.

Interdum ex tenui rerum eventu poëta initium sumit atque argumentum. Neque facile est de re minima sublime carmen efficere. Saepe saepius quo leviora canuntur eo majore vi poëtica et flatu opus est. Hujus rei exempla habes clariora in LXX apophoretis, quae festivus Paoli anseribus donanda scripsit, eis nempe qui quotannis Florentiae ad laeta symposia conveniebant societatis quae Universitatis discipuli mira ingenii sollertia condiderant et «Ordine della Penna d'Oca» vocaverunt²⁹. Antonius Card. Bacci Hugonem Henricum Paoli argutissimum poëtam appellat versus proferens quos ille de cucurbita scripserat et inter apophoreta numerantur³⁰:

•Doctorum in regno si forte cucurbita crevit,
Inspiciunt dubii num queat esse caput,³¹

Etiam, cum Paoli ad Hectorem Bignonem, virum doctissimum suique familiarissimum, aegrotum, se contulisset, ejusque birotam pulvere obtectam in angulo domus vidisset, hos versus epigrammatica vi non carentes neque ingenio, sponte protulit:

•Si bene, si semper cupis, Hector amice, valere,
Ne birota, ut cerno, langueat intus iners;
Quam si rodendam pulvis susceperit ater,
Nec bene erit miserae, nec bene, crede, tibi.
Torpescente diu cyclo torpebis et ipse,
Servabit vires optimus ille tuas.

27. CAESAR GRASSI, *De Hugonis Paoli carminibus*, «Latinitas», 11, 1963, 202.

28. *Carmina*, Florentiae, Le Monnier, 1961, pp. VIII-364; cf. n. 6.

29. *Carmina*, pp. 113-121; cf. *Versus diabolici*, p. 58.

30. «Latinitas», 5, 1957, p. 197.

31. *Carmina*, p. 117: *Cucurbita*.

Pharmaca sperne, precor totamque Hippocratis artem:

Ut recte valeas, illa valere jube.³²

At jocosa Florentini vatis Musa epica fastigia interdum attigit; ita, ex. gr., in carminibus illis, quae *Vox Isargi* inscripsit, in quibus, dum Francisci regis oppidum ejusque notissimam silvam describit, hominum pugnas bellaque condemnat et ad firmam pacem invitat³³; vel in mīrifico illo poēmate, cui *Mortuorum saltatio* nomen eat³⁴, in quo auctor —in metricis artificiis rite jam exercitatus—, difficilibus galliambis exprimere conatur, quod ipse Saint-Saëns in lingua vernacula mira quadam symphonia expresserat.

Longius quam par est haec disquisitio protraheretur, si de singulis Paoli carminibus judicium proferre vellem. Maxima eorum pars, in eleganti volumine nuper collecta, Florentiae apud Le Monnier bibliopolam veneunt. Desunt tamen in illo volumine quae ab anno MCMLXI pepigit carmina, nec pauca quidem nec parvi momenti, praesertim novissimum illud *In limine leti*, in certamine ad Johannis Pascoli quinquagesimum ab ejus morte annum celebrandum indicto, paucos menses ante Hugonis mortem, maximo præmio decoratum³⁵. Praeter alia notata digna, poëta Florentinus, quasi finem suum urgentem dīvinaret, haec verba profert:

«Ipse dolor docuit vatem contemnere vitam...

Quanquam vita quid est? Quid, nisi mortis amor?»

His ergo verbis huic alteri parti finem imponamus, ut demum de singularibus poëtae dotibus seu virtutibus breviter agamus.

III. — De poëtae Florentini virtutibus

Difficile sane et clmi. scriptoris et poëtae Paoli virtutes et merita praedicare, cum multa sint et praeclara. In eo enim fuit dicendi copia et elegantia, facilitas quaedam et aptitudo ad linguam latinam varia ratione et a d res diversas usurpandam, animus semper ad laeta et festiva paratus, mira in puerorum institutione et in tradendis litteris perseverantia et industria, sensus hodiernae aetatis ad res tractandas et ad verba seligenda,

32. Ad Hectorem Bignone nimis de valetudine sua anxius, cf. *Carmina*, p. 234.

33. Sub hac rubrica ventiunt carmina quae inscribuntur: *Francisci oppidum*, «Plosemons, Media silva, De Lambrusci lagoena, Ad Oddonem Bronzum equitem factum, Isargi cantus, cf. *Carmina*, pp. 139-155.

34. Carmen •Mortuorum saltatio• inter varia carmina continetur, cf. *Carmina*, pp. 203-207, in quo clmus. v. Paoli poëtam gallum Saint-Saëns (Op. 40: *Danse macabre*) fideliter interpretari conatur.

35. *In limine leti*, editum primum in commentariis quibus index est «Dīdaskalos», Romae, die X mense Junio a. MCMLXIII, pp. 36-37, deinde vero in «Palaestra Latina», 33, 1963, pp. 187-190.

quae magis horum temporum placitis et moribus aptarentur. De his vero dotibus seu virtutibus pauca dicere sufficiat.

1) Atque in primis *de copia dicendi*, quae, ut constat ex tot editis carminibus et ex tot libris et disquisitionibus soluto sermone scriptis, magna in eo fuit. De disquisitionibus Paoli hinc illinc vulgatis, nihil adhuc locuti sumus, nec nunc loquemur; plures enim sunt ut hic possimus omnia et singula numerare, nedum de iis judicium ferre³⁶. Nonnulla tantum diximus de ejusdem praecipuis operibus, sed quae diximus sufficiunt, ut Hugonem inter clarissimos viros qui hac nostra aetate humanas litteras, latinas praesertim, coluerunt, recensendum putemus.

2) Omnibus quoque nota est *dicendi elegancia* qua Florentinus poëta et scriptor lingua latina ad res quascumque usus est. Per otium, quasi nihil agens, tempus terebat latina quaedam scribendo, quibus discipulorum animos et amicorum relaxaret; et omnia ab eo, sive sermone sive carmine, mirifice fluebant, facili oratione et concinno verbo, omniaque ita Latinitatem redolebant, ut classicis scriptoribus aetatis aureae tribuenda censeret. Tanto enim studio et amore Hugo Henricus Paoli linguam latinam coluerat, ut ejus recondita mysteria facile perciperet atque exprimeret, ita ut inter hodiernos hujus linguae cultores re vera princeps habendus sit. Ita factum est ut ipse, jugi labore et quasi divina vena praeditus, in lingua latina usurpanda summus magister evenerit, et quaecumque ipse scriberet novo quodam afflato excitata apparerent³⁷. Haec altera fuit scriptoris dicendi virtus, quae cum tertia apprime conjungitur.

3) Fuit etiam desidaratissimus poëta Paoli *amoenus et facetus et dicax* in narrando atque in canendo. Natione et ingenio Florentinus,

36. Amplissimam Paoli librorum et disquisitionum seriem apud MARIUM BONARIA, in volumine *Antidoron*, Genova, 1956, pp. 34-40; cf. notulam n. 1.

37. Vincentius Arangio Ruiz et qui cum eo volumen *Carminum edendum curarunt* (cf. notulam n. 6) haec in praefatione de Hugone Henrico Paoli dixerunt: «... Non volevamo, infatti, che questa fioritura di carmi, usciti con tanta spontaneità della penna di uno dei maggiori latinisti della nostra epoca, che è insieme uomo di gusto fiorentinamente eleganti, corresse il rischio di remanere dispersa e fosse esposta, come poesia d'occasione, ad un troppo facile oblio. Poesia d'occasione, abbiamo detto: ché invero la maggior parte di questi carmi è nata quasi per gioco da un fecondo e raffinato «hobby» di chi, come il Paoli, domina da gran signore tutto il campo dell'antichità classica, dalla filologia al diritto, e forse appunto perciò possiede come pochi l'attitudine ad alternare la severità della ricerca scientifica con passatempi che, nonostante l'apparenza di *nugae*, sono autentica espressione di cultura viva e profonda». De natura et de pretio horum carminum laudati auctores hoc judicium proferunt: «...che si trattì di un'opera eccezionale per ampiezza e qualità: un'opera, in cui l'autore ha saputo servirsi, con estrema duttilità, della lingua latina, per esprimere fin nelle minime sfumature i suoi pensieri ed i suoi sentimenti di uomo del nostro secolo».

ab urbe ubi natus fuerat hausit festivitatem illam non sine leporibus. Sed, licet ille festivis facetisque argumentis praestiterit, ne tamen quae scripsit ludos et jocos credideris; ipse enim saepe seria jocis sapienter miscebat, ut, ex. gr., in carmine *Annorum cohortes inscripto*³⁸, in quo ipse jam senex vitam a se actam animo repetens tristia et laeta commemorat, quin suum unquam adversae fortunae recordatio animum firmum frangat.

4) Quid vero de ejusdem mira in puerorum et adolescentium institutione *perseverantia*? Quid de firmitate animi in sustinendis vitae molestiis? Quid de constantia in fungendis muneribus, in litteris usque ad extremam aetatem colendis? Ad simplices puerorum mores et varia placita assuefactus, eo paterna quadam voce et corde excipiebat, viam quae ad virtutem et litteras ducit monstrabat, benigne errores aperiebat qui solent florenti aetati celari, calidis et festivis verbis ad animum perficiendum urgebat, quin ex puerorum mentibus facile exciderent, quae ex ejus ore seria nugis miscendo dīdicissent. Ipse suis semper exemplo fuit integra sinceritate, amicali fiducia, dulci humanitate, gravitate digna, in suscipiendis et sustinendis amicitiis firmo consilio, in munib[us] fungendis mira constantia. Imaginem sui ipsius dices ab eo adumbratam in aureo libro *De senectute*, cum candidum senem revocat, aequalium sermonibus se delectantem, parvulis nepotibus aniles apolos vel fabulosas historiolas narrantem, generosa vīna non spernentem, caeo interdum vīres levantem, ruris otia diligentem...³⁹

5) *Sensus hodiernae aetatis* semper ante oculos habuit, sive aenigmata proponebat sive fabellas enarrabat sive carmina pangebat aut opera varia scribebat. Vetusta illa verba quae parum apta ad res novas exprimendas videbantur ita contorsit et aptavit, ut nihil rectius, nihil aptius, nihil sincerius inveniri posse dices, novis et inusitatibus verbis rejectis vel non nisi raro et pudenter, cum necessitas cogeret, adhibitis. Sit, ex. gratia, carmen quo poëta Felicis Le Monnier aedes novas celebrat. In eo non rotabile typographeum vel alia similia verba usurpat, sed puro latino fonte typographicam machinam hac ratione fingit atque exprimit⁴⁰:

«Murmure producto reboat spatiosa per antra
Machina magna fremens viribus acta suis;
Bracchia perpetuo tollit vertitque deorsum
Alternisque rotis itque redditque celer.
Currens charta fugax premitur currente cylindro
Ac raptim sucos concipit alba nigros».

38. *Annorum cohortes*, cf. *Carmina*, pp. 3-5.

39. *De senectute*, p. 60 (Editio Sansoni, 1942).

40. *Felicis Le Monnier aedes novae*, vv. 17-22, cf. *Carmina*, p. 136-137.

6) Opera denique Paoli si attente perspexeris, eum invenies humannissimum et suavem, dicacem sine livore, doctissimum sine supercilie, pietatis et litterarum cultorem, suorum semper amatorem, libertatis et justitiae vindicem et acerrimum defensorem, poëtam praeclarum Musarum donis et favore cumulatum, scriptorem arte, ingenio, serena mente, linguae latinae usu et proprietate ab omnibus laudatum. Nihil igitur mirum si, aliquot abhinc annis, in commentariis quibus nomen est «Latinitas», inter clariores linguae latinae cultores aetate nostra recenseatur⁴¹. Neque immerito, ipse enim assiduo labore et ea qua pollebat peritia in latino sermone usurpando, id assecutus est, ut lingua latina aptior fieret ad res hodiernas exprimendas, immo et eam non esse mortuam comprobavit; mortua enim lingua carmina nulla pangit.

Illi ergo memoriam pie studioseque servemus, qui, optime de lingua latina meritus, doctrina et usu eam tantopere favit coluitque, ut nobis omnibus exemplo sit, ejusque vestigia persequentes eam quoque linguam omni cura excolamus, quae «ad provehendum apud populos quoslibet omnem humanitatis cultum est paraccomodata»⁴².

Salmanticae, Kal. April. a. MCMLXIV.

JOSEPHUS JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

41. Cf. «Latinitas», 8 (1960) 17.

42. *Veterum Sapientia*, AAS, 54, 1962, 130

De Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Melchioris de Polignac, quod «Antilucretius» inscribitur, poemate, Lugduni Bavatorum edito

Titus Lucretius, clarissimus ille latinitatis poëta, Epicuri doctrinam Romanis ostendit ejusque philosophiam, ut Ciceronis verbis utar, «Paene introduxit in urbem» solacium civibus praebere in animo habens quippe qui civilibus bellis debilitati jacerent inanique deum religioni, ut antea, haud fiderent: quid enim solacii caelicolae dederant? Numquid auxiliū ab illis acceperant quo debilitatam fidem roborari viderent? Bellorum caedes quibus civis civem interficerat, homini homo lupus fuerat, patres, odio obcaecati, filiorum ora gladiis vel unguibus cruento effusis petiverant fidem in deos minuerant vel omnino extinxerant, ne loquar de cultu deque orientalium orbis regionum superstitionibus quae in romanorum animis, dubio jam dudum retentis, serpere cooperant. Antiqua illa religio in paucis tantum integra manserat, ut anteactis temporibus quibus fratres Arvales ad deos fervide manus tollebant ut pacem ac prosperitatem largirentur vel Carmen Saliare sacerdos una cum agresti populo canebat. Animi expleri non poterant numine quod in homines amore vehementique studio non flagraret; longinquum esse videbatur, admodum ab hominibus sejunctum eorumque res ita despiciens jam apparebat ut dignum non esset quod homines colerent ac reverentia prosequerentur. Omnia civili bello divina humanaque permixta, armorum strepitus atque cruentus civium animos debilitaverant, homini minime homo fidebat, suspicio omnes invaserat, iniqua tempora, morum improbitatem, superstitionem religionem ubicumque dominari videres: temporum eventus, vehementissimae procellae instar, in omnia impetum faciebant funditusque delebant: nam machina belli ruit deletque eundo haerentes praesertim civium animos. Inter tantum metum Lucretius se extollere nititur romanis ostendens quae sit via salutis, qua ratione ad animi tranquillitatem vel ἀταραξία, ut Epicuri verbo utar, omnibus curis angoribusque neglectis, pervenire possint, quibus remediis fruendum ad assequendam intimam pacem quae externam aegritudinem, civilibus luctibus ortam, reiciat. Epicuri doctrina, Lucretii saltem sententia, animis medetur atque curas repellit tempore iniquo quo felicitas longe longeque abest, qua de re homini cuiquam in semetipso sibi est quaerenda, in eburnea scilicet animi turri unde alios palantes errantesque videre possit nec non omnia sibi inania comparare rerumque potissimum potiri vehementer nitentes dum aurem per caecas tenebras, procul «lucidis diei telis», errabundi peragrant:

Nam veluti pueri trepidant atque omnia caecis
in tenebris metuunt, sic nos in luce timemus
interdum, nilo quae sunt metuenda magis quam
quae pueri in tenebris pavitant finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi tenebrasque necess est
non radii solis neque lucida tela diei
discutiant, sed naturae species ratioque

Homo qui atomis, seminibus vel primordiis rerum, ita enim philosophus eos nuncupat, et in corpore et in anima constat (ceterum di ipsi, ut Epicurus sentit, nihil aliud nisi atomi sunt), in se ipso pacem quaerit ad beatum vivendum omniaque ad rem publicam pertinentia spernit, veritus ne ab illis curae animique nimia anxietas oriantur: procul negotiis beatus vivit, «magnum alterius spectans laborem».

non quia vexari quemquamst lucunda voluptas,
sed quibus ipse malis careas quia cernere suavest,
caelicolasque haud veretur, quibus autem homines omnia tribuunt:

In caeloque deum sedes et templa locarunt,
per caelum volvi quia nox et luna videtur,
luna dies et nox et nactis signa severa
noctivageque faces caeli flammaeque volantes,
nubila sol imbres nix venti fulmina grando
et rapidi fremitus et murmura magna minarum,

praeterea mortem parvi dicit quia

nil igitur mors est ad nos neque pertinet hilum,
quandoquidem natura animi mortalis habetur.
Et velut ante acto nil tempore sensimus aegri,
ad configendum venientibus undique poenis,
omnia cum belli trepido concussa tumultu
horrida contremuere sub altis aetheris oris,
in dubioque fuere utrorum ad regna cadendum
omnibus humanis esset terraque marique;
sic, ubi non erimus, cum corporis atque animai
discidium fuerit, quibus e sumus uniter apti,
scilicet, haud nobis quicquam, qui non erimus tum,
accidere omnino poterit sensumque movere,
non si terra mari miscebitur et mare caelo,

animam tandem, una cum atomis dissolvi ratus, affirmat:

Post ubi jam validis quassatum est viribus aevi
corpus, et obtusis ceciderunt viribus artus,
claudit ingenium, delirat lingua, labat mens,

omnia deficiunt atque uno tempore desunt.
 Ergo dissolvi quoque convenit omnem animai
 naturam, ceu fumus, in altas aëris auras;
 quandoquidem gigni pariter, pariterque videmus
 crescere et, ut docui, simul aevo fessa fatisci.

Atomus est rerum semen, atomis constant res: cum per clinamen in inane cadunt omnia effingant, cum autem dissolvuntur pereunt corpora: res igitur mortales, immortales atomi dissolvuntur enim, ut, quamquam est «interrupta repetentia nostri», quandocumque inter se iterum coeant. Lucretii doctrina igitur haec homines docet: deos minime consulere humanis rebus, unde fit ut numinis providentia qua mundus regatur nulla existat, qua re hominibus sibi tantum sit consulendum; spernendam mortem quia, cum nos sumus, ea absit, cum advenerit, dissolutis corporis nostri atomis, numquam simus; animi quam maximam tranquillitatem esse assequendam, quandoquidem nihil sapienti sit praestantis quam a negotiis longe longeque se remotum facere; in naturae studium hominibus incumbendum omniaque ordini cuidam ac rationi sine ullo deorum metu tribuenda; funditus delendam religionem («Tantum religio potuit suadere malorum») «pedibusque subjectam vicissim obterendam».

Epicuri vitae ratio perducit homines, ut beate vivant (at id gaudium non affert), ad solitudinem ($\lambda\acute{a}\theta\epsilon\ \beta\acute{i}\omega\sigma\alpha\varsigma$) simulque eos ad cogitandum impellit universum nullo deum numine, velut machinam, gubernari. Christiana Religio autem deinde docebit mundum divina providentia regi mutuumque inter homines, amorem omnium esse christifidelium vexillum: homines, cooptati in nomine Domini, unum debent revereri Deum, cuius numen omnia gubernat hominibusque, fidissimum parentem ut decet, quotidie consultit.

Epicuri doctrina ac ratio longe discrepat ab illis quae Christiana Religio docet: etiam si interdum satisfacere videtur, aliquid inane ac vacuum in animis deserit, homines in se ipsis saepatos retinet eisque non praebet lumen illud quod de caelo descendit, spem in alteram vitam, in meliorem vitam quae, post corporis mortem, optimum quemque jure meritoque sempiterno premio decorabit: cum in Lucretii doctrina nulla resurgendi spes effulgeat («Interrupta repetentia nostri»; «Natura animi mortalis habetur») omniaque una cum atomorum dissolutione esse desinant, in christianorum vitae ratione spes omnino effulget nos, si de Deo Patre optime mereamus, ad meliorem portum perventuros, quam ob rem homo quisque non arescit perpendens omnia in alternis rerum vicibus dissolvi, quin etiam alterius vitae spe, flagranti in homines amore in dies ita revirescit ut more ipsa quae vitam consequitur reditus sit ad Patrem, id est vera vita.

Quantum Lucretius a Christi doctrina abhorreat patet ex versibus poëmatis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Melchioris de Polignac, quod Lugduni Batavorum, post Eminentissimi Auctoris mortem, anno millesimo

septingentesimo duo de quinquagesimo in lucem editum curaque et studio abbatis Caroli d'Orleans de Rothelin editioni est mandatum nec non Benedicto XIV, litterarum Scientiarumque amantissimo, Romanae Cathedrae Praestantissimo illi praesidi ac moderatori, ab eodem abbe dicatum: «Quae duo plurimum, Beatissime Pater, habent apud Deum hominesque sanctitatis, Religio et Amicitia, ea me ad proferendum in lucem hunc Poëseos foetum impulerunt, et eundem nunc commendant benevolentiae Tuae, Tuaeque pietati. Totum hujusce Poëmatis opus Religio concepit ac peperit: haec amoenissimos splendidi ingenii lepores consecravit supremo Numinis; haec auctoris pectus inflammatu divino quodam afflatu ardoris, qui, ut in ipsius animo diurnae vitae decursu debilitatus nunquam est, ita in opere vivit flagratque semper, longo tanti laboris tractu nunquam extinctus... Sed et alio jure Sanctitati Tuae debetur pium hoc clientelae vectigal. Quem auctori amorem reverentiae plenum injecerant cognitae Sanctitatis Tuae virtutes, in hujusce frontem operis alio nomine, praeter quam Tu, non sineret honestari. Omnium et Naturae et artis miraculorum spectator elegans, sagacior etiam animorum aestimator, cum Italianam longo usu perspectam habere studuissest, inter plurima pulchritimae Regionis ornamenta nihil ipsum magis et admiratione commoverat, quam conspicua in Te, excellentis ingenii altitudo, prisca integritas, bonarum artium studium ingens, subactum litteris ac subtile judicium, tenerrima eadem et animosa pietas, omnes denique egregiae dotes, quas intelligenti viro in Sanctitate Tua, patefecerat conjuncta Tecum necessitudo: quem sane maximum ex Transalpinis itineribus fructum retulisse sibi videbatur... Dum Tu igitur, Beatissime Pater, non moribus solum Tuis ac legibus, sed scriptis etiam purissimo Christianae eruditionis succo imbutis, Ecclesiam exornas, accipe testimonium hoc Sanctissimae nostrae Religioni redditum ab Eminentissimo Cardinale, quem amabas, ab eo quem ipse amavit nunc oblatum Tuae Sanctitati, curasque meas velis Apostolica Benedictione consecratas. Hanc unam laborum is in terris mercedem toto animo concupivit».

Optimum Cardinalis opus, quod «Antilucretius» inscribitur, quasi significare velit se Epicuri poëmatis esse refutationem, per totam «litterarum rem publicam» magni habitum fuit ejusque fama et auctoris virtute et argumentorum nexu late pervagata est.

«Quod enim in principum virorum liberis», haec in praefatione legimus, «publica expectatio facit, ut eos vixdum ex incunabulis egressos multorum aures oculique prosequantur, eorum facta explorent, dicta omnia excipiant, spargantque in vulgus, affingant etiam aliquid aliquando; id in magni Cardinalis Poëmate, ex quo primum inchoatum est, evenisse mirum videri non debet... talis ille vir fuit, ut tot inter ejus decora vel minimum sit floruisse maxima gloria Poëseos: opus autem est ejusmodi, ut aliorum ejus factorum claritate non indigeat». Operis pretium duco, praefatione eadem usus,

nonnulla quae ad poëma pertinent referre: ex his intellegi potest quanto studio ac labore eminentissimus vir in opus conficiendum incubuerit: «Cum e Polonia rediens anno 1697 Abbas Poliniacus in Batavia aliquandiu commoraretur, plurimis in colloquiis cum acutissimo viro Petro Baylio, sed qui in causa Religionis tamquam in sole caligaret, de iis quae spectant ad Religionem velitatus est. Igitur incensus studio veritatis atque virtutis, concepit animo magnitudinem huius operis, quo Lucretium atheorum antistitem atque oraculum collato pede profligaret.

Itaque paulo post in Boni Portus Abbatiae secessu seclusus a negotiis ac sibi redditus, quinque Antilucretii libros conscripsit. Hoc primum fuit rudimentum. Post quattuor annos Lutetiam reversus de iis quae chartis mandaverat, cum Malebranchio metaphysicorum principe communicavit. Is et propositum operis, et magis etiam opus ipsum admiratus, quaedam tamen reprehendit: id enim impune licebat apud eum, qui moneri se quam laudari mallet: et ex perspicacissimi Philosophi monitis, nonnulla, auctor ipse, emendavit.

Vigebat tunc temporis disciplina Cartesii. Hanc Poliniacus, dum primam philosophiae navaret operam adolescens, in scholas advenientem viderat; hanc ipse alacriter exceperat sinu, adhuc a plerisque et a magistro etiam suo repudiata, ac publica disputatione fuerat magna cum ingenii laude tutatus... anno millesimo septingentesimo sexto Romam a Rege missus Poliniacus, ut in Tremolii jam Cardinalis locum Auditor Rotae succederet, suscepti laboris meditationem trans Alpes secum tulit. Nam ipse sibi Museum in mentis recessu condiderat omni litterarum elegantia cultissimum... itaque in rheda, in strepitu, in ipsa turba facile secum ipse commentabatur.

Postquam ab erudito viro Lancizio medico suo multa de Antilucretio praeclara audivisset Clemens XI, ejus ut cognoscendi copiam sibi faceret, ab Abate Poliniaco postulavit: cui pluribus in colloquiis recitanti, cum attentas aures preberet, vi Poëseos et latini eloquii nitore mirifice capiebatur Summus Pontifex, qui maximis virtutibus eximiam litterarum intelligentiam addiderat. Ipsi quidem placebat minus doctrina Cartesii; sed eam tamen quanam arte Religioni quasi ministram ac famulam auctor adjungeret, mirari se fatebatur... Crescebat interim opus, cum quidquid progrederetur auctor, in vastiorem se altitudinem ac velut profundum invehiri sentiret... Dumque cum Epicuro proeliabatur, in ceteros etiam atheos Epicuro velut auxiliares arma convertebat. Spinosam igitur obiter proculcavit: in Hoboesium ex transverso impetum fecit. Quin et in causa Religionis suspiciosus, atque omnia tuta timens, Lockium et Neutonum perstrinxit...

Has magno Cardinali dignas cogitationes, quas diurnae vitae spatio negotiorum moles non oppresserat, non ultimus etiam morbus et proximae mortis afflatus excussit... cum igitur affectum dolore corpus in cubili versans,

nihil usquam levamenti inveniret, mente adhuc integer, recordatus est carminum aliquot suorum... relinquebatur jam celeberrimum poëma; sed cuius varias partes variis temporibus perpoliendo, dissolutas ac dissipatas in unum corpus revocare numquam curaverat. Hoc ut ederetur, opus erat amico, quem Plinius Octavio suo contingere exoptat, «et fideli, et eruditio, et laborioso, qui tantum curae intentionisque suscipere posset et vellet». Talem ipsi, blanda amicitiae conciliatrix, conjunctio voluntatum atque virtutum paraverat illustrissimum Abbatem Rothelinum... huic igitur Cardinalis paucis ante obitum diebus Antilucretium, pretiosissimam haereditatis suae partem, in manus tradidit: ac sedulo recognitum ederet ne an supprimeret, liberum ipsi de tota re arbitrium permisit. Is unus recenti Virgilio pro Tucca et Vario fuit».

Tum Abbas Rothelinus molestiam ac difficilem operam impigre aggressus est: «totum poëma», ne de ceteris loquar, «crebra lectione concoquere», «confusa innumerabilia fere addimenta, quasi disiecta tantae molis membra, ad quem quodque locum natum esset, in eo sic includere, ut quadrarent». «quaecumque exemplaria passim obierant, investigare; ea tum inter se, tum cum iis quae ab ipso Cardinali acceperat, comparare». Cum hoc opus admirabili animi sollertia Rothelinus perfecisset praestantissimoque Lambertinio illi dicasset, tota litterarum res publica id tam libenter accepit ut «opus egregium» nuncupaverit doctumque Cardinalem, vita defunctum prius quam in lucem editum poëma conspexisset, ecclesiae senatus, praeter quam ceteris dotibus, litteris mirifice imbutum, gloriam insignem aestimaverit.

Poliniaci poema novem libris constat quibus Epicuri doctrinam atheorumque insectatur: Quintio dicantur (hoc nomine quemvis atheistum intelligere debemus) quem hortatur ut, depositis «praejudiciis», vacuas aures rationi accommodet; Deum, mirum omnium rerum artificem, haud materia constare; omnia ab eo divinaque providentia, non casu, gubernari; numquam ad impia esteraque religionem impulisse:

Tu modo non surdam nostris da cantibus aurem.
Quid strueret, divos olim qui finxit inertes,
Ac similes nullis; confertaque semina rerum,
Et casu caecis inter se nexa catenis;
Aeternas atomos quibus omnia nata garantur;
Atque animos hominum pereuntes mortis ab ictu;
Ipse libens aperit confidentissimus almae
Praeco voluptatis, nulloque pudore fatetur. (I, 80-87)

Effera tantum igitur potuit suadere malorum
Impietas, non religio; quae prava coercens
Corda metu, spe recta foveat; cunctisque suum jus
Spondet, et humanas vetat obbrutescere mentes.

Quod si ductores Danaum, Calchante magistro,
 Tentarunt fato lacrymabilis Iphianassae
 (grande nefas) classi celeres arcessere ventos,
 Ac laesum ultricis Numen placare Diana,
 Non haec vera Dei fecit reverentia; fecit
 Caeca supersticio et vani fallacia vatis. (I, 834-843)
 At qui materiam fecit, non ille profecto
 Materia constat. Nam si constaret et ipse
 Partibus advectis per motum ac tempora quaedam,
 Praevius huic esset motus. Simul altera causa
 Inquirenda foret, quae motum partibus illis,
 Atque situm nutu proprio, formamque dedisset.
 Per se, aut aeternus minime foret ille, sed alter.
 Atqui Principium, quo corpora cuncta creantur,
 Aeternum plane ac per se est, velut esse fateris.
 Unde incorporeum, Quinti, simul esse necesse est
 Ergo materiae Deus et moderator et auctor,
 Materia ipse caret, perituri est corporis expers. (III, 1070-1081)

Interdum eminentissimus poeta, Lucretii secutus vestigia, similitudinibus utitur, e quibus patet quanto lepore poëticas res pertractet quantaque dulcedine captus Poliniaci animus sempiternis Musarum alliciatur donis:

Haud secus in silvis, ac frondes inter opacas
 Ingenitum carmen modulatur musicus ales,
 Dum fovet implumes foetus placidissima conjux:
 Nam ramo nunc ille sedens, nunc praepete penna
 Huc illuc circumvolitans, noctesque diesque
 Invigilat custos; liquida tum voce canorus
 Personat omne nemus; molli haec abscondita nido
 Suaves aure bibt numeros, oblita laboris;
 Et vix assiduae sentit fastidia curae, (III, 49-57)

Vel ludibrio habet inanes adversariorum rationes quae ad nihil tendet nisi ad alliciendos, ut mimos decet, lectores:

Egregium nunc dogma boni mirare Lucreti!
 Saepe fit, oblata rerum ut dulcedine capti
 Miremur faciles, plausuque sequamur amico
 Qui nos decipiunt. Quales jocularia mimi
 Prodigia exercent: digitis hi namque micantes
 Attentos fallunt oculos, dum vascula tractant
 Aptas dolis: fraudem velatam praepete gestu,
 Virga et voce juvant, et ubi posuere lapillum,

Ostendunt volucrem. Stupet ore ignarus hianti
Spectator: temnat, si quando noverit artem.
Haud aliter solers oculos auferre poeta,
Excusso tibi debebit ludibria fuco, (IV, 461-474)

Vel, eadem Lucretii philosophandi ratione, argumenta explanat:

Iam folia et stipulas, pappos, plumasque videntemus
Ante quidem volitare diu, quam lapsa quiescant:
Nam vix truduntur fatis, ut diffundere possint
Aera suppositum, levibus ludibria ventis.
Sed condensa poros tenues, paucasque lacunas
Intus habent; facilemque aditum luctantibus auris
Dura negant; quare nequeunt eludere plagas
Aetheris obnixi contra, sed tota resistunt;
Ut pariter totis contendens viribus aether
Ingruit, assiduo detrudens corpora pulsu.
Hinc ferri massae praeponderant aurea massa,
Et ferrum faxo, faxum ossibus, ossa liquori;
Tum varii inter se distant gravitate liquores, (IV, 675-687)

in eumque pugnat iisdem usus armis quibus Epicuri sectator Romanis ostenderat magistri illius cogitata qui caelicolas contempserat tantaque vi persecutus erat ut, eorum potestate pedibus subiecta, nihil aliud esse, praeter quam superstitionem, religionem ostenderit deosque, longe ab hominibus longeque remotos, sollertes rerum, quae sub oculos cadunt, haud esse artifices, cum mira quae admiramus supremi numinis ingenio sint tribuenda:

Vidimus et species viventum animataque regum;
In quibus est operis major solertia, mentemque
Arguit artificem doctus labor: unde parentem
Esse Deum pariter vocalia mutaque clamant. (VII, 5-8)

Poliniaci poëma, ut supra, novem constat libris quibus auctor doctrinam explanat suam in Lucretium et in Atheos qui, Dantis Aligherii ut versu illo utar, «l'anima col corpo morta fanno». Operae pretium esse existimo unius referre libri argumentum quo manifestius pateat quam multa doctrina et ad litteras et ad scientiam pertinenti doctissimi Cardinalis opus redundet quantaque diligentia adversarios retundendos persequatur.

Ex ipso volumine quod Lugduni Batavorum, Typis Eliae Luzac, JUN., anno MDLXVIII in lucem editum est, argumentum quod primum librum praecedit, exempli gratia, referto: •Proponit quid hoc opere sit acturus: divinam sapientiam invocat. Quintum, quo nomine quemvis Atheum intellige, hortatur, ut, depositis praejudicis, vacuas aures Rationi accommodet. Tum

patrocinium Religionis adversus voluptatem aggressus, ostendit institutum Epicuri de subvertenda religione, et unice colenda voluptate, esse amicum libidini ac sceleribus; at moribus, humanae societati, virtuti et rationi infestum.

Adversus Epicuri defensores ostendit, eum non in virtute voluptatem, sed in voluptate virtutem positam velle; eversaque religione, eversam simul ab Epicuro esse regulam omnem, non virtutis solum, sed etiam veritatis. Suffragantem Epicuro Hobbesii de iusti origine sententiam obiter refellit. Concludit doctrinam Epicuri de voluptate exitiosam esse et insanam.

Voluptatem cum Religione comparat, ostenditque a Religione demum petendam esse veram tum in hac vita, tum in futura felicitatem. Victa voluptate, concludit Athei interesse plurimum, Deum, an sit, investigare.

ANTONIUS PAGANO

ITER DANTIS IN DEUM

PURGATORIUM

CATO UTICENSIS

Purg. c. I, vv. 19-136

*Sub Legis imperio
sursus in lucem et libertatem*

Piscibus obductis, orientem sola coruscans
implebat risu stella quae amare docet.
Lumina sed volvi, quatuor nova, cognita priscis
jam patribus tantum, dextera signa tuens.
Quam gaudere polus mihi creditus! O vidiata,
illis namque cares, arctica terra, foci!
Dum paulum versi, Currus decesserat unde,
respectant oculi limen Hyperboreum,
grandaevum quandam prope vidi, adeoque verendum
ut mage sit nullus dignus honore pater.
Canens barba, comae similis, prolixa fluebat,
in pectus bifida dulce fluente coma.
Quattuor illa senis lustrabant lumine vultum
sidera sancta, velut sole micante datur.
«Qui fugere audetis, fluvio caecisque latebris
adversis, Erebi vincula perpetui?»
intonuit, movitque caput plumasque decoras.
«Quo duce venistis? Quidve lucerna fuit
egressis furtim vobis e nocte profunda,
qua Inferni semper vallis et unda nigrant?»
Frangere tartareas leges! an forte novato
numine, damnati tangitis arva mea?»
Tunc nutu et manibus, tunc me premit ore Poëta:
illius ante pedes prociderem reverens.
«Dant» ait inde, «preces dominae venientis ab alto
hoc iter hunc, memet subveniente, sequi.

A te nostra tamen relegi si vera jubetur
condicio, flector protinus imperio.

Funeris hic expers: at demens, jam prope funus
ex vacuo barathri margine pronus erat.

Utque ideo traherem, dixi, sum missus ad illum;
congruit et nobis, haec nisi, nulla via.

Mecum adiit penitusque reos, aditurus et omnes
qui scelus omne tua sub dictione luunt.

Ne memorem, longumque nimis, sacra quomodo tandem
istius adjutor limina contigerim;

de summo virtus descendit provida caelo,
unde licet pateant vox faciesque tua.

Sis bonus et faveas: libertas quaeritur illi,
scandenti tantam corde inhante viam:

libertas, qua nil est umquam carius, ut scit,
ne juga iniqua ferat, vivere qui refugit.

Tu nosti, tu, pro hac Uticae, quae clare resurgent
membra die magna, sternere dulce ratus.

Non Acheronta fuga perrupimus: hactenus huic Mors
parcit enim, Minos nec mea saepula tenet.

Mi locus est ubi nunc oculis tua Martia castis
lucet et orat adhuc sit tua, sancte senex;

eius amor septena, precor, percurre regna
det nobis sceptro rite subacta tuo:

de te, munus ei, me grata referre juvabit,
ni te quin celebrem subter Averna negas».

«Tam jucunda meo fuit olim Martia cordi
ut quidquid cuperet, quidquid et usque, darem»;

is tunc respondit verbis affatus amicis:
«cum, sed enim, vivat flumine clausa malo,

pector a ne moveat mea motibus amplius ullis
lex, ibi quae viguit me egrediente, vetat.

Diva tamen mulier si te regit, hoc satis esto:
desine plura loqui; nil opus illecebbris.

Nunc abeas igitur; fretus moderamine fali,
dux comiti addictus denique perge viam.

At prius hunc levi fas est praecingere junco;
et fac os mundet sordida tota lavens:
nam fuscis oculis primum spectare ministrum
haud decet angelica de legione datum.

Insulae in imis huic, sinuata ubi littora circum
verberat extrellum mobilis unda latus,
sunt junceta super limum diffusa palustrem:
non ibi frondescens crescere planta potest,
cortice nec duro quaevis arbusta rigescunt,
quandoquidem nequeunt ictibus annuere.

Dein alia redditus; vos jamque docebit ad altum
sol oriens levius carpere montis iter».

Dixit et e visu in tenues evanuit auras;
atque ego qui steteram curvus humi genibus,
surrexi, tacitusque meo fidensque poëtae
accessi proprius, luminibusque rogans.

«Me sequere» is monuit; «retro cedamus oportet
hac qua declivis vergit ad ima locus».

Jam matutinum caelum sublustre rubebat
aurorae afflatu, mox subeunte die;
aequor et ante procul liquidum trepidare marinum
cernere erat fluctu candiore micans.

Nos mutum soli campum peragrare, velut qui,
quoad rectam repelat, computat ire nihil.

Cum pede constitimus soles ubi rescidus umor
distrahit et venti flamme purus adest,
expandit palmas meus ille magister et ambas
suaviter in molli gramine tinxit aqua.

Nota paterna mihi fuit hinc studiosa voluntas
porrexique genas multa madens lacrimis;
tectus et inferni picea caligine mundi,
priscus in offenso canduit ore color.

Desertum litus tunc cepimus aequora juxta
non ausis umquam post remeanda viris:

tendere namque nefas, redeundi at nulla potestas.
 Heic me praecinxit, numen ut ante sacrum
 jusserrat. O mirum! modo rursus, vellitur unde,
 a fibris alacris virgula subsiluit.

ANGELICUS NAUTA

Purg., c. II, vv. 1-51

*Alae candidae et Umbrae
 transvolantes mare*

Jam sol Hesperias lambebat cernuus undas
 et Nox, opposita de regione rotans,
 cum Librae stellis ab litore Gangis abibat,
 quas orto properat linquere solstilio;
 orbe et in adverso Solymis Aurora nitebat
 cana prius, rubra post, denique flava comas.

Nos peragrabamus mare juxta, sic iter ut qui
 pendens, corde volat, corpore sistit adhuc.

Ecce, velut crasso stagnante vapore rubescit
 aequor ad occiduum Mars ineunte die,
 paruit — o iterum videam! — levis aequore fulgor,
 mobilis ut nullum par genus alituum.

A quo cum, dubium, paulum mea lumina flexi,
 grandior est factus perspicuusque magis.

Mox et utrumque dein quid nescio claruit album,
 albus item subter prodiit inde color.

Duxque nihil, nec me querentem certa moratur,
 quoad ala est visum candor utrumque prior.

Hinc, ubi cernenti manifestus nauta refulsit:
 «Nitere» clamavit, «nitere humi genibus!

Angelus ecce Dei: dabitur jam saepe supremi
 hos Regis famulos visere: junge manus!

Carbasa vel tonsas, humanas neglegit artes,
 remigio alarum, conspice, fulmineus.

Sublime arrectis pertractans aëra pennis
 non mutabilibus transvolat Oceanum».

Ales divinus super his grandescere forma
et propior fieri, gliscere luce simul:
quo deflexi oculos, mortalia namque propinquum
tantum ferre jubar lumina non poterant.
Appulit is, tetigitque solum quae nil gravis undis
cymba, sagitta velut, caerulea transierat.
Exstabat tacitus, rutilo sed fronte beatus
extrema in puppi portitor aetherius;
plurimae et intus erant Animae psalmumque canebant
plebis Hebraeorum de reditu in patriam.
Nec mora: nam simul ac super Umbras signa Salutis
in Cruce describens extulit ille manum,
hinc cupidae optatum trepidant contingere litus,
hinc iter is rediens ingeminat volucet.

Joannes Ambrosi

NOVA ET VETERA

IN AERIOPORTU - II

(cfr. *fasc. sup.* 186, p. 305-313)

10. Gubernator⁴¹ sedet in cellula, gubernaculi rotam⁴² moderatur, motoria inspectat; deinde per curriculum⁴³ aliquantum decurrit, postea avolat⁴⁴ a terra,

41. GUBERNATOR [*piloto* - *pilote* - *pilota*]: Mariano, Badellino, Bacci habent: «gubernator, rector», *Candidatus Lat.*, 2 (1929) 36: «gubernator»; Cognasso: «(vir) volatus peritus; aëroplaniga». — Quam vocem (*aëroplanigam*) proponunt aut usurpant LURZ (Soc. LAT., 11 (1943) 6; 17 (1952) 7); CAPELLANUS-LAMER, *Sprechen Sie Lateinisch?* II, p. 102; TEMPINI (*Manuale di composizione lat.* 2, p. 66); probat P. C. Eichenseer (in epist. die 28 m. aprilis a. 1964 data). Capellanus-Lamer et alii vocem effectam volunt et eodem exitu desinentem atque in aur-iga: *aëroplan-iga*.

42. GUBENACULI ROTAM [*volante* - *volant* - *volante*]: simili ratione ac de curru automobili Holzer in *Alma Roma*, 25 (138) 98. *Gubernaculum* tantum adhibere non expedit cum in cauda «gubernacula directionis et profunditatis» inveniantur. — Auctores ita latine vocem *volante* vertunt: BACCI: «rotula moderatrix; gubernaculum»; ZENONI: «axis volubilis»; COGNASSO: «orbis ductionis; volubilis rota; rota motoria»; BADELLINO: «gubernaculum; rotula»; MARIANO: «volubilis, motoria rota»; DUMAINE: «orbis ductionis»;

— Adhibe «rotam gubernaculi, rotam moderatricem»: hac enim aërina-
ves reguntur. Neque omnino reicien-
da videntur «verticulum, verticillus» (cfr. *Candidatus Lat.*, 2 (1929) 36; 2 (1929) 70), nam ex ipso vocis etymo
«verticulum» id significat 'quod ver-
titur vel quo aliquid vertitur', et di-
citur de instrumento «quod fuso ad-
hibetur ut facilius vertatur» (cfr. FORCELLINIUM, s. v.).

43. CURRICULUM [*pista* - *piste* - *pista*]: ZENONI: «curriculum»; MARIA-
NO: «gyrus; curriculum; semita»; BA-
DELLINO: «curriculum; stadium, gy-
rus»; BACCI: (s. v. *pista d'atterraggio*,
p. *di lancio*): «campus in quem veli-
volti descendunt; campus velivolis
sustollendis; gyrus ad volatum». —
Teneamus *curriculum*, quod etiam di-
citur 'de spatio et loco in quo curri-
tur'; et *gyrus*, qui translato sensu 'de
loco dicitur quasi in circuitum duc-
to' et de aliis (cfr. CIC. *Orat.*, 3, 19,
70). — A voce «viale» (ctr. *Candida-
tus Lat.*, 2 (1929) 36) aptius abstine-
bimus, cum «vialis, e» sit tantum
'quod ad viam pertinet'.

44. AVOLAT [*despegarse*]: vel
«evolat»; ipsam tamen avolandi ac-
tionem, qua a terra paulatim

denique iter aërium⁴⁵ praestitutum conficit. Apud omnes fere gentes tramites aërii⁴⁶ constituti sunt, quibus vectores ab una in aliam civitatem aut nationem celerrime perducantur.

11. *Hydroplana in mare desiliunt seu aequorantur*⁴⁷; *aeropiana autem terram capiunt*⁴⁸. Cum vero casus fortuito evenit, *decidiculum*⁴⁹ parant aéronautae⁵⁰ et

aërivehiculum disjungitur, rectius verbo «divolandi» exprimeretur (cfr. *Candidatus Lat.*, 2 (1929) 36), sed nullo, ut videtur, comprobatur latinitatis scriptore.

45. *ITER AERIUM* [*vuelo*]: saepius a P. E. Jové (*Alma R.*, 13 (1926) 95. 96) usurpat: *De novis itineribus aëreis*: «iter aërium Matrito - Manilam adoriebantur».

46. *TRAMITES AERII* [*línea aérea - aerolinea*]: aliquando certa et constituta itinera aëria notari oportet quibus Societas vectores ex una in aliam regionem transferunt: eaque certa, itinera *tramites aërii* appellari possunt. «Traines» autem est 'semita transversa et minus frequens et iter compendiaciens' (FORCELLINI, s. v.); dicitur etiam de quacumque via; et nulla sane via velocius et rectius in locum venitur quam navigatione aëria. — BACCI: «aërium iter; aéronavium iter; velivolorum iter». Voce vero «commeatus aërius», quam etiam proponit Badellino (s. v. *Piccolo lessico*), id exprimi potest quod vulgo dicimus *pasillo aéreo*, cum de re militari agatur.

47. *AEQUORANTUR* [*amarar*]: apud omnes gentes novari opus fuit

vocabula quae ad navigationem aëream spectant, in his etiam quae ad hydroplanum; in Hispania vulgare et tritum est jam verbum *amarar*, quod ut latine interpretaretur P. E. Jové, verbum «*aequorar*»* procudit (cfr. *Alma R.*, 13 (1926) 96).

48. *TERRAM CAPIUNT* [*aterrizar*]: dic etiam: «terram attingere, in terram prosilire».

49. *DECIDICULUM* [*paracaídas - parachute - paracadute*]: quam vocem ita latine scriptores interpretari co[n]ati sunt: COGNASSO: «retardator (!), instrumentum casibus retardandis»; A. BINI (*L'uso vivo della lingua lat.*, Vallechi, Firenze, p.65): «(instrumentum) casum retardans»; G. LURZ (Soc. LAT., 11 (1943); 18 (1952) 6): «desultorium»; *Juventus* (24, 10, 106; 25, 10, 93) Soc. LAT.: «umbella pen-silis»; BADELLINO: «umbraculum quod casum per sublime moderatur; umbraculum»; BACCI: «lapsus moderamen; umbella; de caelo labentium tutamen, tutamentum, tutaculum»; «umbella adapertilis, u. salvifica; tegmen salvificum» (GENOVESI). *Candidatus Lat.*, (2 (1929) 36), PAL. LAT., (22 (1952) 156): «decidiculum»; de qua voce J. Holzer (*ibid.*): «Pro para-

* «Aequorari ab aequore novaveram, idque in forma quidem deponenti, quae, ut asserunt Grammatici, apud Graecos voci mediae respondent. «Aequor» autem, ait Forcellinius, interdum dicitur de planicie terrae seu agrorum, saepius de mari. *Aequorari* igitur vocabulum mihi sonat quasi: «ad planitem terrae seu agrorum» et magis «ad mare se recipere» (E. Jové, C. M. F.).

vectores, et ex aërio vehiculo in aëre se demittunt; ac decidiculo aperto, per aëra enavigant usque dum terram attingant. Videote illum militem qui experimenti causa, decidiculo usus, in aërodromum placide descendit.

12. Aliquando certamina⁵¹ velocitatis in patria aut inter nationes proponuntur, et qui summum attingunt⁵² praemio munerantur ac summo honore habentur.

13. Quae omnia perscienter Joannes explicavit; et jam ex aëriportu discedebamus cum quidam navigationi aëriae praepositus accessit nosque humaniter salutavit. Quem pueri, curiositate compulsi, sponte adierunt eumque interrogaverunt num alia essent aéronavium genera, nam de novis inventis audierant. Qui consistens parumque quasi secum cogitans, «Ita sane, pueri, inquit, sunt et alia aërivehicula quae cognoscatis oportet. Sunt aërinaves gigantēae⁵³ — quibus aliquando quadringenti milites comportentur —, et nutrices⁵⁴, quibus minores

caidas «decidiculum» haud inepte novasti. Equidem per litteras Lurtio Monacensi «umbellam desultoriam», sed pro copiis instrumento illo lapsum et casum retardante ac moderante e caelo per aëra in terram descendenteribus «copias desultorias» feci. Neque me fugerat adjectivum «desultorius» cum equite conjunctum jam pridem in usu fuisse, ut *hussarus* significaretur. Ita fit ut adjectivo quod est «desultorius» aliquid ambigui insit. Quapropter *decidiculum* in horreum meum condam et a «decidiculo» per derivationem fingam «decidicularius».

Vocabula ab scriptoribus proposta rem apte definire non videntur; explicant quodam modo, ita tamen ut his vocibus similes res significari possint. — *Desultortum* et *decidiculum* ex omnibus mihi probabiliora videntur. «Desultorium» tamen a Holzerio posthabitum est; nosque hac voce appellavimus quod hispanice dicimus *trampolin* (cfr. PAL. LAT., 28 (1958) 286).

Quod autem ad ipsam vocem, novam equidem fateor, sed haud dissimilans

milis est quam plurimis antiquitate probatis: «cub-i-culum, offend-i-culum, perpend-i-culum, veh-i-culum, redim-i-culum, admin-i-culum, curr-i-culum, discern-i-culum, divert-i-culum»; igitur et *decid-iculum* a verbo «decid-o»; sunt et similia multa: «tuta-culum, obsta-culum, recepta-culum, ora-culum, specta-culum, suscenta-culum», cet.

50. AÉRONAUTAE [*tripulante aéreo*]: simili sensu atque in navegatione si in primis designantur 'qui in navi adhibentur ut eam agant'; qui sensus saepe erit retinendus; vectores vero seu viatores aéreos eos nominamus 'qui iter agunt'; quos tamen — ut apud nos — aliquando «aéronautas» appellabimus.

51. CERTAMINA [*concurso, raid*]: «certamen» est 'contentio inter duo vel plures de re aliqua dijudicanda et primo tribuenda'; dicitur in primis de ludis.

52. SUMMUM ATTINGUNT [*battir el record*].

53. AÉRINAVES GIGANTEAE [*avión gigante*]: translato sensu *gigantēus* adhiberi potest.



ALIAE VOCES

<i>suburra, ae</i>	<i>lastre</i>
<i>campus navigationis aëreæ</i>	<i>campo de aviación</i>
<i>statio, onis</i>	
<i>aërodromus, i; aëriportus, us</i>	
<i>conjungere</i>	<i>embragar</i>
<i>dissjungere</i>	<i>desembragar</i>
<i>alae, arum</i>	<i>planos de sustentación</i>
<i>avolatio, onis</i>	<i>despegue</i>
<i>stationem facere</i>	<i>hacer escala</i>
<i>retinaculum, i</i>	<i>torre de amarre</i>
<i>deflectere</i>	<i>virar</i>
<i>deflexio, onis</i>	<i>viraje</i>
<i>classis aërea</i>	<i>flota aérea</i>
<i>casus, us</i>	<i>catástrofe</i>
<i>consilium supremum aëriae classi praepositum</i>	<i>ministerio del aire</i>
<i>administer ab aëria classi</i>	<i>ministro del aire</i>
<i>aëriae classis praefectus</i>	<i>comandante de aviación</i>
<i>volare</i>	<i>volar</i>
<i>conscendere aëroplanum</i>	<i>subir al avión</i>
<i>locus tenuioris aëris</i>	<i>bache</i>
<i>praecipitem se ferre in</i>	<i>tirarse en picado</i>
<i>aëroplanum ad perpendicularum aggrediens</i>	<i>avión que bombardea en picado</i>
<i>aërinaves inter se collidunt</i>	<i>aviones que chocan</i>
<i>incursus aëroplanorum</i>	<i>incursión aérea</i>
<i>verberare (confringere, quatere) pyrobolis (globis igneis)</i>	<i>bombardear</i>

aërivolae, dum in aëre volant, benzina⁵⁵ replentur, et quae insectantes aërivolas portant. Sunt et aëroplana contraria vi propulsa, id est aëris haustoria⁵⁶, quae sonorum limitem superant⁵⁷, et quae dicuntur arces volantes⁵⁸ et praegrandia illa castella volantia⁵⁹, ut Boeing-29.

14. Ex quibus peritissimi viri, multa diu experti, confinxerunt missilia volantia⁶⁰ —ut illa Germanorum pyrobola V1 et V2, et alia nuper parata—, et satellites artificiales⁶¹ —in quibus Sputnikum, Echo, Tiros, Cosmos, Explorator—, et ra-

54. (AËRINAVES) NUTRICES [*avión nodrizo*]: «nutrix» saepe per translationem adhibetur.

55. BENZINA [*bencina*]: cfr. PAL. LAT., 29 (1959) 87; ubi proponitur benzina; ab aliis vero benzinum et benzinum.

56. AËROPLANA CONTRARIA VI PROPULSA, ID EST AERIS HAUSTORIA [*reactor, avión a reacción - velivolo a reazione*]: de his Card. Bacci: «aéronavigium inversa, contraria vi propulsum; aéronavis inversa erumpente vi propulsa»; quae tamen circumlocutiones Amadeo Pacitti minime placuerunt (cfr. PAL. LAT., 27 (1957) 212; 28 (1958) 293) et proposuit aërihauritorem; cui respondi: vocabula in -tor et -trix exeuntia a supino progigni; cum autem supinum verbi hau-riendi sit *haustum* —quoniam in posteriore latinitate *hauritum* inveniatur et inde S. Augustinus *hauritorum* dixit— cl. Professori Pacitti suasi ut propositum verbum in *aërihaustorem*, *aërihaustorem* verteret; eaque motus ratione in superiore fasciculo, p. 309, *aéroplanum aërihaustorium* dixeram, cum *haustor* et ab hoc deducta vox *haustorius* praestantiore latinitatis nota insigniatur. Vocis tamen conformatio iterum expendenda est atque ex his quaenam sit aptior deliberandum:

aërihaustor, aërihaustor, aëris haustor, aërihauritor, aërihauritor, aëris hauritor, aëroplanum aërihaustorium, aëris haustorium.

57. SONQRUM LIMITEM SUPERANT [*superar el muro del sonido, volar con velocidad supersónica, superar la velocidad del sonido*]: cfr. A. PACITTI, PAL. LAT., 27 (1957) 212): «Nonne jam ipsum rerum sonum velocitate superaverunt aëriae apud nos citissimae machinae illae, quae aërihaustores dici possunt...?

58. ARCES VOLANTES [*fortaleza volante*]: cfr. PAL. LAT., 20 (1950) 130, ubi arcem volitantem proposui.

59. PRAEGRANDIA CASTELLA VOLANTIA [*superfortaleza volante*]: «castella» per translationem dicuntur res et loca maxime munita: dic etiam, si placet: *gigantēae arces volantes*.

60. MISSILIA VOLANTIA [*proyectil, bomba volante*]: «missile» est 'quicquid est ad mittendum, ad jacendum aptum'. T. Livius (1, 43, 7) classes centuriasque ex censu describit et in quinta classi recenset eos qui «fundas lapidesque missiles secum gerebant.»

61. SATELLITES ARTIFICIALES [*satélite artificial*]: «Nostri temporis astronomi satellites appellant quinque planetas, qui circa Jobis orbem, et octo, qui circa Saturni sphaeram vol-

dios pyrios⁶², et illas astronaves⁶³, quibus cosmonautae⁶⁴ terram circuierunt qui-
busque itinera interplanetaria⁶⁵ parant ut tandem in lunam prosiliant⁶⁶.

Quisnam vestrum in lunam anno 1970 cosmonauta avolare cupit?

vuntur» (FORCELLINI, s. v., II, 1) Qui nunc artificialiter terram circueunt «satellites artificiales» vocantur. Adjectivum *artificialis*, e adhibet Quintilianus (*Inst. orat.* 6, 4, 4; 12, 8, 14; 5, 1, 1); dic etiam: «artificiosus» (Cic.); «arte factus».

62. RADIOS PYRIOS [*cohete*]: cfr. BADELLINO, s. v. *razzo*; qui «radii» idem saepe sunt ac «missilia volantia».

63. ASTRONAVES [*astronave*]: ut supra diximus, ad latinitatem pro-
pius accedemus si has *aérias naves*
appellemus «astrinaves».

64. COSMONAUTAE [*cosmonauta*]:
recens et optima vox.

65. ITINERA INTERPLANETARIA
[*viaje interplanetario*]: *planetarius*, id est astrologus, usurpatur a D. Augustino; et necessitate compulsi non est cur ab adjectivo *interplanetarius* abstineamus; cfr. «interfinium» (ISID., 11, 1, 48), «interordinium» (COL., 4, 14, 2), «intermundia» (CIC. *Fin.*, 2, 75; *Nat. d.*, 1, 18), «intermuralis» (LIV., 44, 46, 1), «interspatium» (TERT., *Orat.*, 20), «internundinum, interscalmum, interscapulum», cet.

66. IN LUNAM PROSILIANT [*alu-*
nar].

JOSEPHUS M.^o MIR, C. M. F.

PER ORBEM

De certaminis Vaticani VII exitu lectores certiores facimus. — Certamen Vaticanum, quod singulis annis Romae rite celebratur, ritu hoc anno sollemnissimo a. d. quintum Id. April. indictum est, cum dies commemoraretur quo abhinc decimum annum Joannes Baptista Montini —nunc Romanae Ecclesiae Pontifex Maximus— vicem Pii XII emortui gerens, publico huic affuit certamini. In Curiam Riariam, ubi certamen habitum est, decem Emmi. Patres Cardinales convenerunt, ex quibus memoratu sunt digni Emmus. Cardinal. Josephus Pizzardo Sacri Consilii Seminaris et Studiorum Universitatibus praepositi Praefectus, Emmus. Benedictus Aloisi Masella, Praefectus Sacri Consilii Sacramentorum disciplinam moderantis et Emmus. Antonius Bacci.

In primis subselliis praemio insigniti assidebant. Solemnis Certaminis Vaticani renuntiationis hic fuit index: 1— Oremus pro Pontifice. Quem cantum quattuor vocibus mixtis Chorus Polyphonicus Romanus mira arte concinuit; 2— Publica praemio laureatorum renuntiatio a domino Amleto Tondini habita; 3— Cantate Domino (cantus quattuor v. m. expressus); 4— De Romanitate S. Leonis Magni disputatio a cl Croce G. enodata; 5— O bone Jesu (cantus quattuor v. m.); 6— Solemnis victorum renuntiatio a domino R. Massiglio facta, quam secuta est solemnis praemiorum distributio; 7— Jubilate Deo (cantus quattuor v. m. expressus).

Sub prolusionis finem, dominus A. Tondini telegramma a Smo. Papa nostro Paulo VI missum legit, quo primo certamine Vaticano Romae celebrato se prolusionem habuisse memorabat. Quod telegramma, omnes ex subselliis assurgentes, maximo plausu exceperunt.

Ex ordine poëtarum honestati sunt clmi. viri Josephus Morabito ob carmen quod *Humana sedes* inscribitur, Olynthus Pasqualetti cuius poëmati est titulus *Raeda automataria*; ex ordine scriptorum solutae orationis primum praemium adjudicatum est Gabrieli Nepi commentatione cuius est nomen *Docti furor arduus Lucretii*, alterum «ex aequo» Josepho Morabito ob studium *Remoti temporis memoria* et Sophiae Brianza cuius opus est *Quomodo Franciscus Petrarca in carminibus italico sermone compositis rerum naturam senserit atque effinxerit*. Mentione honorifica dignum aestimatum est opus cui est nomen *Utrum contemnenda an admiranda fornicae sunt*, ab alumno Othone Cantore scriptum.

Omnibus competitoribus qui hoc Certamine Vaticano VII victores evaserunt vel laude sunt decorati, ex animo gratulamur.

Certamina celebranda. — Institutum Studiis Romanis provehendis,

clarissimo Petro Romanelli praeside, omnibus latinae solutae orationis cultoribus — ubique terrarum sunt — Certamen Capitolinum XVI proponit ut nobilissima ingenia concertatione adhibeant quod alma Roma sit dignum. Scriptores aemuli quinque libellorum exemplaria mittant ad

Istituto di Studi Romani — Ufficio Latino — Piazza dei Cavalieri di Malta 2, — Roma. Tempus scriptorum mittendorum a. d. XVIII Cal. Febr. proximi anni producitur.

— Consociatio Hispanica litteris classicis fovendis, certamen nationale instituit ut praemio donet eos qui a die 30 mensis Septembris thesim ad lauream vel ad licentiam consequendam, lucubrationem legerint. Necesse est ut scripta seu argumenta ad praemium obtinendum de rebus sint classicis. Duo sunt certaminis praemia: alterum — quinque milia pesetarum — quo thesis ad lauream optima donabitur; alterum — duo milia pesetarum — quo thesis illa ad licentiam decorabitur quae a judicibus praestantissima omnium habita sit. Tempus ad scriptamittenda aptum pridie Cal. Octobres hujus anni exibit.

Dies commemorationis digni. — Cum proximo anno 1965, decimum nonum centenarium a Senecae morte agatur, Cordubae coetus constitutus est, quo moderante, commentationes seu colloquia habebuntur, quibus haec sunt nomina: *Balbi eorumque tempus, Seneca adhuc apud nos vivit, Aurelius Prudentius et romanitas christiana*.

— Universitas Cantabrigiae nummum incudit qui haec verba habet in scripta: «A. J. B. Wace Memorial Medal», illius viri memoria qui clarissimus fuit archaeologus atque versatissimus in rebus antiquae Graeciae investigans. Qui numus quotannis adjudicatur optimo «Classici Tripudis» alumno.

— Universitas Genavensis rite celebravit quinquagesimum annum postquam peritissimus grammaticus Ferdinandus Saussure e vita discessit.

Antiquitas classica viva redditur. — Nostra ipsa aetate, qua honestae litterae apud plurimos — momenti et virtutis harum litterarum parum aestimatores — minimi ducuntur, technici cinematographi oculos in historiam et mythologiam classicam converterunt ut septimi artis amatoribus aliquid dignum novumque praeberent. En pellicularum index quae nuper evulgatae sunt:

— Taenia cinematographica cuius est nomem *Imperi Romane casus* quaeque plurimis cinematographis Europae expressa est, maximis laudibus a peritis est cumulata. Argumentum enim magni est momenti cum de extremis annis saeculi II post Ch. n. agatur, quo imperator Commodus Marci Aureli filius cum mediocriter Imperium administraret, occasionem praebuit ut Imperium Romanum prolaberetur. Theatralis apparatus, bella, multitudines, res musica, dialogi summum praebuerunt oblectamentum iis omnibus qui pelliculis, quae ad genus Romanum pertinent, trahuntur.

— Omnes Graecae linguae cultores Cretensis Minotauri fabellam cognoscunt, qui quotannis per plurimas virgines saevissime vorabat. Theseus vero Athenarum rex monstrum tandem interfecit. Qua fabella technici nixi, pelliculam excogitarunt quae ex se simplex puerisque apta, arte scaenicae saltationis, colore, musica aliisque rationibus ornata omnes magnopere movet et juvat.

— Aliae sunt pelliculae quae antiquitatem classicam redolent quaeque superiore anno expressae sunt: *Phaedra* quae Euripidis tragoeidiam imitatione consequitur; *Caesari regina* seu historia de Aegypto anno L a. Ch. n. cum Cleopatra Ptolemaei filia regno potita est; *Thessaliae gigantes*: qua pellicula Jasōnis navigatio aurei velleris occupandi causa narratur; adde etiam taenias quae inscribuntur *Illi bellum*; *Septem Lacedaemonii*, *Spartaci filius*, *Cleopatra*. Ex quibus pelliculis, cum de re mythologica, de bellis, deque historia ad classicam aetatem pertinentibus agatur, rationibusque hodiernis sumptuosae, magnifica reddantur, maximam spectatores voluptatem capturos pro certo habemus.

— Barcinone a scaenica societate «Lope de Vega» nomine in scaenam prodita est fabula quae *Caligula* appellatur. Auctor clmus. vir Albertus Camus litteris doctissimus postquam in *Caligulae* historiam a Suetonio scriptam penitus descendit, tyrannum vi tanta ornatum nobis offert ut Suetonii descriptionem superasse videatur.

— Fictor Catalaunicus cui est nomen Iosephus M. Subirachs, formam nuper ex ligno fecit, quam Polyphemum inscrispsit. Ansam vero praebet ut visentes in errorem inducantur; nam non monstrum illum Neptuni filium quod unum tantum oculum in media fronte habebat, sed instrumentum effinxit duobus lignis —igni infuscatis— constans, quibus aereus oculus appetatus est. Videtur ergo magis quam signum mythologicum, quod ad Graecos refertur, idolum Aegyptium vel «totem» Africanum.

Venus a Melo iter in Japoniam facit. — Nemo est qui de signo illo venustissimo, Venus a Melo nomine, non audierit; quodque in insula Melo anno 1820 inventum, in Museo quod inscribitur «Louvre» servatur. Hoc ergo simulacrum cuius alumnus Scopas artifex fuisse creditur, navi vapore impulsa in Iaponiam transportatum est ut Olympiis Tochii hoc anno celebrandis praesit.

Inventa archaeologica. — In urbe Catalaunica cui est nomen «Granollers» —quam nonnulli antiquam Semproniam agnoscunt— quaeque statio videtur fuisse cursus publici Imperii Romani, necropolis Romana effossa est. Amphorae, nummi, musiva, columnarum marmororum domorumque inventarum reliquiae maximi sunt momenti. Ad saeculum II post Ch. n. referuntur.

—Post laboriosas effossiones in Macedonia factas, opus tessellatum mira arte factum, tabula picta Thesei et Helena qui curru vehuntur, imago qua duo venatores cervum occupant, inventa sunt.

Lectiones de litteris classicis Salmanticae habentur. — Ut singulis annis fieri solet Pontificia Universitate moderante, a die 5 ad 25 mensis Augusti hujus anni, lectiones et disputationes de litteris classicis et sermone hispanico Salmanticae enodatae sunt. Cui conventui interfuerunt climi. Professores Ricardus Castresana, Sebastianus Mariner, Eugenius Hernández-Vista, Isidorus Rodríguez, Ismael Roca Julius Calonge, Josephus Guillén, Exmmus. doctor Aloisius Morales Oliver cet.

Diem supremum obierunt. — De nefasto nuntio lectores «Palaestrae Latinae» facimus certiores: virum illum humanissimum Joannem Petit Mone-serrat litterarum classicarum peritissimum aestimatorem, magistrumque doctissimum —cui nihil humani ab eo alienum erat—, perdidimus. Praeter plurimos libros, versiones et studia quae vulgo ediderat, socius clarissimus corporis quod inscribitur «Fundació Bernat Metge» fuit, cui propositum erat in linguam Catalaunicam vertere scriptores graecos Herodotum, Eurípidem et Homerum. Deo aliter visum!

Ad Joannis Petit memoriam qui de vita decessit perpetuandam inmortalemque reddendam, praemium, centum milibus pesetarum constans, quod «Bibliotheca Brevis» appellabatur quoque fabula lingua hispanica scripta donabatur, »Praemium Joannes Petit» in posterum dicetur.

Licet tardius, lectoribus nuntiamus animam reddidisse plurimos viros eosque de classicis litteris bene meritos:

—Clmum. virum Anthimum Papadopoulos qui commentarios qui inscribuntur «Ιστορικὸν Λεξικὸν τῆς Νέας Ελληνικῆς Γλώσσης» summa auctoritate moderatus est;

—Doctissimum virum Carolum Mras annum octogesimum sextum agentem, qui Philologiae Classicae Professorem in Universitate Vindobonensi fuerat;

—Grammaticum peritissimum Ferdinandum Sommer in Universitate Monacensi Professorem, Latinarum et Graecarum litterarum indefessum cultorem.

JESUS ARAMENDIA C. M. F.

Conspectus poëtarum Latinorum saeculi vicesimi

AUCTARIUM

Abhinc tres annos commentationem edidimus, qua poëtas Latinos qui saeculo vicesimo floruerunt etiam nunc florent breviter recensuimus. Prodidiit opusculum Olisipone in commentariis, qui EUPHROSYNE inscribuntur, t. 3 (1961), pp. 149-190. Ex eo nominum operumque laterculo est videre ne nostrâ quidem memoriâ jugis ille fons poësis Latinae novantisque exaruerit lymphave careat vitali.

Proximis autem annis haud pauca emendanda atque addenda ab amicis accepimus, alia ipsi repperimus. Quae omnia, ne diutius laterent, heic evul-gabuntur ea tamen ratione ut novissima carmina, quae ab anno 1960 in commentariis Vaticanis LATINITAS inscriptis judicaverimus, item quae Oli-siponensibus eodem loco addiderimus, non repetamus. Aditu enim faciles atque in promptu sunt nostrae MUSAE LATINAЕ annuae prelis Vaticanis edi-tae: LATINITAS 8 (1960), pp. 137-143; 9 (1961), pp. 141-151; 140 (1962), pp. 140-150; 11 (1963), pp. 137-149; 12 (1964), sub prelo.

Transeamus jam ad singularum nationum poëtas:

—ANGLIA.

1. BARTON Alfredus Thomas, *Gulielmi Shakespeare Carmina* (Londinii 1913 iterumque 1923).

2. BURTON Georgius C., sacerdos dioecesis Hagulstadensis (=Hexham), *Planctus Magdalenes* (Romae 1902; - 3 pp.). Morientem Magdalenam carmine celebravit, cuius inter preces versiculos hic thematicus recurrat:

Jesu, vesper adest: fac coenem in lumine tecum.

3. GODLEY Alfredus D. (1865-1925), cuius carminum libelles tres su-periore commentatione laudavimus, qua erat Latinitatis peritia summa, Q. Horati Flacci *Carminum librum quintum* composuit (Oxonii, apud Blackwell, 1920).

4. MUNRO Hugo, professor Cantabrigiensis, qui Romiae obiit a. d. III Kal. Apr. anno 1885, multas versiones poëtarum Anglicorum reliquit. Quas collegit et edidit J. Duff, *Translations into Latin and Greek Verse by H. J. Mun-ro* (Londinii, 1906). Exempli gratia celeberrimam illam Hamleti Shakespe-riani sententiam attulimus, quae audit: *To be or not to be, that's the question!* Latine Munro sic expressit:

Esse juvet necne esse, hoc in discrimen agendumst!

5. ROUSE W. H. D., *Cantabrigiensis, The Latin Struwwelpeter* (Londinti et Glasguae 1934) Est versio Latina fabulae Henrici Hoffman puerilis de Petro Hirsuto (*Der Struwwelpeler*); Versiculi accentu et consonantia ligati sunt.

—BRASILIA.

1. De Augusto PADBERG-DRENKPOL, quem in Conspectu primo laudavimus, haec nobis tradidit Carolus L. Weitzel Silvicustodiensis, qui litteras acceperat ab Helena Padberg, poëtae cognata, scriptas. Georgius Augustus P. - D. natus est in Germania, unde circa annum 1920 in Brasiliam Penates transtulit. Erat autem biologus. Obiit Petropoli in civitate Fluminis Januari anno 1948.

Praeter ante laudata scripsit alcaicum *Carmen saeculare Coffeae abhinc annos ducentos in Brasiliam invectae sacrum, quo sincerissime dicato CARAE PATRIAE fausto hoc anno MCMXXVII pie gratulatur collegium MUSEI NATIONIS BRASILIANAЕ ad FLUMEN JANUARI.*

Carmen longius est (148 vv.) quam ut integrum repetamus: At haec saltem proponere juvat, quibus caeli historiam auctor conclusit:

- | | |
|-----|--|
| 101 | <i>Qua Januari Fluminis urbs viget
Sanctique Pauli qua regio patet.
Cessere cofettis veprata et
Coffea regnat ubique princeps.</i> |
| 105 | <i>O jure regnas, tu rubeacea
Princeps, levamen dulce homini datum
Verumque NEPENTHES, dolores
Excutiens bonus ut Lyaeus.</i> |
| 110 | <i>Vinum celebret laetus Horatius,
Nos laetiores te canimus, latex
O coffeeae, unus qui vel omnes
Exsuperas alios liquores...</i> |

—COLUMBIA.

1 Aequum est nomen commemorare Alfonsi M. NAVIAE (1887-1941) qui in ipso mortis limine commentarios Latines condidit: *Latina Fides, Latinitatis praecorium presbyterorum missionis opera et studio Tunquae in Columbia terito quoque mense editum*. Post primum anni primi fasciculum m. januario 1941 editum (20 pp.) una cum conditore periiit.

—GERMANIA.

1. DU FAIS Henricus, *Carmina neo-latina* (Berolini-Lipsiae 1908; 25 pp.). Libello insunt versiones Latinae Goethei octo, Eichendorffii, Körneri, Rückerti atque Ebner-Eschenbachae singulae. Accesserunt Goethei versiones Graecae duae, Francogallica una.

2. EHRENFRIED Villelmus Nicrosulmensis, *Schilleri De Ambulatione* (= Der Spaziergang) *carmen...* *Latine reddidit* (Rottweil ad Nicrum, 1936). Idem summi poëtae Germanici carmen latina veste donavit Fr. Schultess, *Schiller's Spaziergang Lateinisch* (Hammaburgi 1898). Villelmus autem alias quasdam versiones minores publici juris fecit in *Societate Latina*, 8 (Monachii, 1940).

3. Robertus KRAUSE Silesius, archipresbyter ad honorem et parochus vici Wittichenaviensis in *Lausitia Superiore*, edidit:

a) *Deutsche Dichtungen in Lateinischen Gewande* (Greiffenbergae Silesiorum, 1915). Libellus in duas partes divisus est, quae sunt: poëmata 44 ecclesiastica cum archetypis Germanicis (Pretii sunt mediocris tam primigenia quam conversa verba); poëmata 48 profana, quae sunt majore ex parte cantica puerilia vel popularia, partim tamen carmina poëtarum illustrium celeberrima, puta Henrici Heine *Lorelei*, Joannis W. Goethe Heidenröslein, Schilleri *Kampf mit dem Drachen*, etc. Rhythmis usus est ametris.

b) *Vaterländische Lieder in Lateinischer Uebersetzung* (ib. 1916) seu cantica philopolitica Latine versa.

—HISPANIA.

1. CÓRDOBA Hieronymus praeter opuscula, quae nominatim laudavimus, *Aérioplanum* carmen typis exprimendum curavit (Romae, 1910).

2. ORTEGA Alfonsus, philosophi homonymi nepos, non tantum *Oden Eucharisticam* scripsit, ut olim nuntiavimus, sed etiam carmen in laudem Friburgi urbis Brisgoviae. Num typis commissum sit ignoramus,

—HUNGARIA.

1. JUHASZ Ladislaus quasdam poëtarum Hungarorum versiones edidit in *Juventute Hungarica*, (Budaepetini 1926). pp. 22-23 (Kisfaludy K., Mohács) et 21 (1936), p. 13 (Petöfi S., *Exeunte Septembri*). Praeterea publici juris fecit: Jókai Móz, *De duabus salicibus Enyediensibus. Latine reddiderunt, L. J. duce, auditores universitatis Szegedinensis* (Budaepetini 1927; 56 pp.). Suo Marte cecinit *Ad Pacem carmen epico-elegiacum* (Szegedint, 1950; 16 pp.).

—ITALIA.

1. ATTARD S., *Selecti flores poëtici* (Melitae, 1928).
 2. BLASCO Josephus anno 1925 Panormi emisit *In somnis Carmen et Anno vertente sacro Carmen elegiacum*.

3. BUSATO Aloisium, quem inter poëtas ignotos locum dederamus, eundem esse atque Renatum Davolta, professorem Romanum, Josephus Morabito Messanensis nobis rescripsit. Ejus exstant *Quisquiliae et Romanae Sirenis elegia* (Romae 1942).

4. CAPASSO Joannes, *Fabularum Aescopiarum libellus* (Panormi 1925).
 5. CASIELLO Aloisius, *Carme Latino* (Sassari 1932).

6. D'ANIELLO Antonius, *De Aquinate Doctare et de Medii Aevi philosophia carmen* (Neapoli 1900).
7. EPIFANIO A., *La Chiesa, carmen Latinum* (Panormi 1907).
8. GALANTE Aloisius carmina in certamine Hoefftiano praemio vel laude ornata in unum corpus collecta edidit: *Pianosa, Il Barbiere Licino, La Scuola di Flavio, poemetti latini con versione Italiana di N. Pitta* (Histonii in Aprutiis, 1922).
9. GALANTE Hippolytus Romanus (°1892) praeter opera majora, quae attulimus, anno 1932 Olisipone carmen *Pio Papae IX evulgavit*.
10. GIAMMARIA F., *Capitolium Novum: carmen* (Romae, 1933).
11. MANCINI Maximus, sacerdos, *In sacram familiam Jesum Mariam Joseph hymni* (s. l. d., ca 1917).
12. MAZZA Joannes Herculensis (°1877), *Latina carmina in certamine poetico Hoefftiano magna laude ornata MCMXXVIII-MCMXXXI* (Neapoli 1934). Haec carmina singillatim nominavimus in Conspectu Olisiponensi.
13. MEOTTI Joannes Baptista (1867-1935) *Epigrammatum libellum Brixiae* anno 1928 edidit.
14. MOLTEDO Franciscus, sacerdos Barnabita, natus est anno 1839, mortuus 1919. Ejus exstant, ut notum est, *Carmina* (Neapoli 1882) et *Lyrica seria et ludicra* (ib. 1910).
15. NARDI Angelus, sacerdos, *Carmina subseciva* (Aquilae 1911; 36 pp.); *Ob faustissimum eventum quo inter Vaticanam sedem atque Italiam Pius XI Pont. et Victorius Rex foedus pacis et libertatis feliciter constituunt* (Romae 1929).
16. PACINI Aureli carmen Pio X oblatum et *Instaurare omnia in Christo inscriptum* (Pistoriae 1912) olim nos fugit.
17. PARACHINI P., *I Cesari di Ausonio continuati, tradotti, illustrati Augustae Taurinorum*, 1953, pp. 134). Epigrammatis, quae Ausonius tetrasticha quattuor et viginti numero composuerat, triginta alia addidit, singula item duobus distichis elegiacis constantia.
18. In laterculo carminum Vincenti POLIDORI Arretini error emendetur oportet. Prius, quod anno 1929 in certamine Locrensi laudatum est carmen non *Parvulus in circo* sed *Sarnulus in circo* inscribitur. Idem carmen alio indito titulo (*Cyllarus sonipes victor*) iterum prodiit in commentariis ALMA ROMA 1941.
19. RAMPELLO Benjamin, *Carmina* (Panormi 1926).
20. SALOMONE Felix, sacerdos, *Carmen de sacro jubilari anno* (Neapoli 1901); *Carmen* (s. l., 1928), cuius argumentum ignoramus.
21. SALVI Josephus duo carmina epico-religiosa panxit: *Genesidis libri II* (1914), quibus martyrium Sancti Genesii, mimi Romani, cecinit; et *Mariades; libri III* (Camerini 1919). Libro primo vitam Beatae Mariae Virginis exposuit ab annuntiatione ad mortem S. Josephi; altero narravit ultimos Christi dies ejusque mortem; item Joannem Matrem consolantem induxit; tertio Christi resurrectionem, Mariae autem adsumptionem et coronationem cecinit.

22. SANGIOVANNI Antonius, sacerdos, *De nativitate Christi carmen* (Anxani in Aprutiis 1916).

23. SARDI A., *Carmina Latina* (Fulginii 1907).

24. SIGNORI T., *Carmina* (Romae 1914)

25. TARCI Manfredus, sacerdos, cuius *Quaedam carmina* (Senis 1931) jam pridem novimus, magnas Comoediae Divinae partes Latine vertit: *Primum cantum Divinae Comoediae Latine vertit* T. M. (Senis, 1908); *Ex Comoedia Dantis a XXV cantus Inferni Latine versus* (ib. 1916) atque *Comoediae Dantis A. primi duo Paradisi cantus Latine versi* (ib. 1917).

26. VACCARO Vitus Panormitanus, qui anno 1877 Amstelodami in certamine poëtico Hoeufftiano laudatus est cum carmen *Thomas Aquinas* judicibus misisset, anno 1910 in urbe natali *Horae Subsecivas* in lucem dedit.

27. VERGHETTI Blasius, sacerdos et Romanae Ecclesiae hymnographus. hisce operibus inclaruit: *Ad laudem Viti hieromartyris in Bohemorum tutelam divinitus dati* (Fulginiae 1897); *Hymni septem in laudem septem ss. fundatorum ordinis Servorum B. M. V.* (Romae 1912); *Gloriosus ordo B. Mariae Virginis de Mercede poëtice illustratus. Accedit appendix Italicarum versionum* (Insulae Liris, 1927); *Hymni Latini, rhytmī et inscriptiones poëticae* (Romae 1936; 255 pp.).

—JUGOSLAVIA

1. DOBREĆI Nicolaus M. (°1872), archiepiscopus Antibarensis totiusque regni Serbiae primas anno 1918 Sarajevi edidit *Poema lustra X sacerdotū Dr. Josephi Stadler, archiepiscopi et Metropolitae Vrbosnensis celebrans*. Hujus auctoris scribendi generis specimen infra descriptsimus:

Quis resides iterum nostras ad carmina vires
 Cogit et Aonidum per amoena vireta vagari
 Impellit vatem? Zephyris spirantibus ulla
 Haud viret hic arbor nec dulcis molliter aura
 5 Amissum revocat per languida membra vigorem.
 Scilicet, eoī surgens pulcherrima ab undis,
 Nunc aurora mihi iucunda luce coruscat,
 Laetitia et pectus pertentat; quippe corona
 Purpureis quae intexta rosis niveisque ligustris
 10 Frontem olli cingit, medium fert aurea festam
 Lucem, quae post lustra decem completa sacerdos
 Levita insignis, rutilans altaris honore,
 Sacra ministerii renovans, concendit ad aras,
 Patri iterum Summo Divinum jam obtulit Agnum...

Auctorem nemo inter veros vates collocabit. Esto! At utinam omnes, qui nunc sunt, sacerdotes catholici eadem saltem Latinitatis peritia callerent!

—SUECIA.

De novissimis poëtis Sueciae Latinis quaedam tradidit C. E. A. Söderström (†1892) in praefatione libri posthumi, cui titulus *Carmina Selecta*

(Lundae 1895). Saeculo undevigesimo floruisse scripsit Tranér et Lundblad poëtas, eodem autem saeculo in vigesimum vertente Fahlcrantz et Törnebladh (†1912). Iis utique accedere debet:

1. BERGMAN Joannes, doctissimus Prudentii carminum editor, qui in condendis poëmatilis aequo peritus erat. Ejus exstant *Carmina Latina* (Upsaliæ 1898, iterumque 1899), quae olim in Conspectum nostrum recepimus, necnon *Carmina novissima: carmina Latina uno carmine Graeco adjecto* (Holmiae 1926). Libellus 38 paginarum haec continet: carmina ad antiquitatem et res humanas in universum spectantia (*In Graeciam*, cum illic appelleret; *Nox Attica*; *Romae laus quinquepertita*; *Sepulcrum Maronis*; *Rerum vanitas*; *Dulcia tristitia*); carmina solemnibus publicis celebrandis edita; carmina sepulcralia; *Hávta gētī*. Juvat unum saltem distichon excerptisse e laude urbis Romanae:

Saecula prætereunt, redeunt nova saecula semper:

Restat Roma tuus multiplicatus honos. (IV. 1-2).

2. FAHLCRANTZ Christianus Alfredus, quem Söderström laudavit, natus est Holmiae anno 1835 ibique diem supremum obiit anno 1911. Poësin Latinam ab anno 1858 docuit in academia Upsaliensi. Ipse edidit *Carmina Latina ex recentioribus linguis* (i. e. Suecica, Anglica, Germanica et Italica convertit A. F. (Upsaliæ 1907). Paucis autem annis ante G. Sjögren omnes ejus reliquias poëticas in unum collegit et edidit, titulo Suecice inscripto: *Samlade Latinska originaldikter och översättningar till Latinsk vers* (Holmiae, Norstedt 1949, 180 pp.), i. e. Collecta Latina poëmata propria et versiones in Latinum carmen. Nova carmina pleraque sunt extemporalia.

Haec sunt, benevole lector, carmina quae per hos tres annos ex oblivione eruere potuimus. Quorum ars, quam exilem aliqui dixerint, citius nares ne corruget, hoc saltem reputes, quod humillimus etiam horum auctorum majore saepe Latinae linguae scientia polleat quam plerique, qui nunc sunt viri docti philologi. J. S. Phillimore, professor Glasguensis (1873-1926) in praefatione libelli, quem una cum S. G. Owen anno 1898 Oxonii edidit (*Musa Cluda: Translations into Latin Elegiac Verse*), rem acutetigit ubi scriptit: «versuum scribendorum usum deminutum atque artem philologam simili modo in pejus datam esse».

Proximis annis fastos poëticos Latinos saeculorum XVIII-XIX compone conabimur. Omnes itaque, qui poëtas horum temporum noverunt, enixe rogare audemus ut certiores nos faciant litteris ad facultatem philosophiae et litterarum Universitatis Catholicae Lovaniensis apud Belgas nostro nomine missis.

J. IJSEWIJN

P. Lebrunstraat 27. — Leuven (Belgica)

BIBLIOGRAPHIA

MORPURGO ALDO — *Isocratis ad Demonicum*. Edizioni scolastiche Sansoni. Casa Editrice Sansoni, pag. XXIX-48.

Agitur de isocratico opere paraeneticico «Ad Demonicum». Duas partes liber complectitur: hinc quasi galeatam introductionem (pp. VII-XXXIX), inde textum graecum una cum appositis notis atque explicationibus (p. 7-48). Paginae vero 3-6 descriptioni praecipuorum codicum — «Ypothesis anonymoy grammaticoy» — declarandae a praeclaro Professore A. Morpurgo dicantur.

De auctoritate et fide scripti isocratici fusius in introductione, ubi auctor de operis natura, de stilo et proprietate, de textu, de bibliographia sermonem eruditius instituit.

Praestantissimus quidem magister Isocrates, atheniensis rhetor (436-338 a. Chr.). Ex non nullis in hac parenaetica axhortatione «Ad Demonicum» naevis quidam sapientes opus apocryphum habuerunt. Controversia, ut saepius fit, cursu temporum protacta. Quidquid illud est, optimam ex hoc libello hauries doctrinam, praesertim cum opportunissimis auctoris notis explicationibusque declaretur.

F. J. SCHEED. — *Sociedad y sensatez*. Editorial Herder, Barcelona 1963, pag. 248.

Ex ipsa inscriptione, hoc opus cum alio clari viri Scheed sociatur, cui titulus, ex translatione hispanica, «Teología

y sensatez». Ibi autem Dei cum hominibus, hic relationes hominum inter se iudicii trutinae subduntur.

Jam vero, in prima parte hujus libri, homo consideratur ab scriptore ea ratione qua Christianismus humanam personam multis qualitatibus atque virtutibus configit. Quidnam rei sit homo, quisnam ejusdem existentiae finis, quae nam principia in mutuis hominum relationibus dirigant: en quasi argumenti framen.

Altera vero pars est tanquam applicatio vel compositio horum principiorum in matrimonio et familia. In postrema denique eadem principia cum societate et Statu commode conjuguntur.

Omnino subscribenda illa commentarii periodici «Daily Telegraph» sententia atque judicium operis criticum: «Commoda applicatio christianorum principiorum relationibus humanis nativis, propositum hujus operis». Capita de sexu, de matrimonio, de familia magni quidem momenti.

PHILOPONUS, C. M. F.

G. B. KIRTLAND. — *One day in ancient Rome*. Drawings by Jerome Snyder. Macmillan and CO LTD. London. Pag. 40.

Scitus libellus quem non tantum menti verum etiam oculis alumnorum quasi loqui dicas. Libri inscriptio: «Unus dies in antiqua Roma». Quem etiam lector uno, ut ita dicam, haustu et leget et laetanti animo apprehendet.

Quid fuit Romanorum vita temporibus Titi Caesaris? Quid die agitabat populus? Quid edebat, quid tractabat? Quid faciebant pueri, quibus studebant, quo pacto ludebant? Iis aliisque quaestionibus responsum dat clarus scriptor. Verus paenagogus, manu alumnum ducit dum ejus animo latinae linguae studium quasi guttatum instillat.

M. GOYENS, O. S. C. — *Recueil de thèmes latins, pour la 4 et 3*. Han-sur-Mer. Pag. 84.

De hac collectione thematum in commodum discipulorum haec libri auctor: «Ce qui nous a amené à composer ce Recueil, c'est le seul souci de simplifier, tout en sauvegardant le programme».

Primum recensetur morphologia et syntaxis vocabulorum (ibi amplius 700 exercitationes), deinde syntaxis propositionum (in qua amplius 1.200 exercitationes). Liber aptissimum alumnis latinae linguae, in themate vertendo.

Exercitationes gradatim procedunt, quibus supplementum additur, cui inscriptio «Vademecum pour le Professeur».

PHIOPONUS, C. M. F.

A. MAZZARINO. — *M. Catonis: De agri cultura*. Lipsiae, in Aedibus B. G. Teubneri, MCMLXII.

Hoc volumen imprimendum curavit Professor Bruno Doer; ad fidem vero Florentini Codicis edidit egregius vir A. Mazzarino, qui et textui septem tabulas adjecit.

Centum admodum libri paginis prioribus prolegomena continentur, in quibus tota de textu historia critica ad nos

usque summo ingenio, sollertia, eruditione recensetur. Centum aliis paginis textus apparatusque criticus praebetur. Deinde: I. Index nominum, virorum deumque vocabula, locorum nomina, specierum origo. II. Index rerum atque specierum: ad rem rusticam pertinentium, ad aedificationem, ad medendi artem, ad coquinam. III. Index ponderum atque mensurorum.

Denique opus absolvitur appendice, in quo compendia scripturae proferuntur: a) in praenominibus; b) in mensuris atque ponderibus; c) in nummis; d) in legibus; e) vicia. Sex vero palaeographicis tabulis universum argumentum perpolitur.

A. MARQUÉS, C. M. F.

A. KURFESS. — *Appendix Sallustiana. Fasc. 1. Epistulae ad Caesarem. Fasc. 2. Invectivae*. Lipsiae in Aedibus B. G. Teubneri.

Duobus his libellis ougetur nobilis «Bibliotheca Scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana». Rem vero clarus Professor Alphonsus Kurfess sedulo perficit.

Primum epistularum ad Caesarem senem de re publica textus ad fidem criticam est restitutus, ducibus ad memorię nostram optimis codicibus. Sexta haec hujusmodi Sallustii operis editio, eaque aucta et emendata.

Deinde «(Sallustii) In Ciceronem et invicem Invectivae»: editio quarta, emendata et aucta. Quod volumen imprimendum curavit Professor Doctor Bruno Doer.

Ita res consequuntur: bibliographia, conspectus notarum; apparatus criticus absolutus; textus emendatissimus, indices

nominum et vocabulorum potiorum; conspectus archaismorum et sententiarum una cum congruentiis discrepantiis que maximae prorsus utilitatis.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

ENK, PETRUS JOANNES. — *Sex. Propertii elegiarum liber secundus.* Pars prior: Prolegomena et textum continens (pp. 128. — Pars altera: Commentarium continens (pp. 482). Lugduni Patavorum, in aedibus A. W. Sijthoff, MCMLXII. Netherlans, Leyden.

Nova editio alterius libri Propertii, qui famen duobus voluminibus continetur. Merito quidem operi subicitur inscriptio: «Liber secundus cum prolegomenis, conspectu librorum et commentationum ad IV libros Propertii pertinendum, inde ab anno 1940 usque ad annum 1960, notis criticis, commentario exegetico».

Tanto operi edendo sumptus suppeditat Institutum Nederlandicum Scientiae Purae (Z. W. O.). Auctor autem de humioribus litteris laureis donatus est: Litt. Class. Doctor (Leiden). Litterarum Doctor H. C. (Leeds), Universitatis Mancuniensis socius honorarius, Academiae Propertiana Subasii socius honorarius, in Universitate Groningana Professor ordinarius emeritus.

Ex quo nullae libri commendationes desiderantur. Textus accuratissimus et criticus; typographica ratio quam perticida; explicatio ampla, nitida, ad hunc diem protracta. Illud quidem opera pretium erit cultoribus latinae linguae: totum operis commentarium lingua lati-

na, eaque aptissime disposita, agitatur fitque planum. Quo sane opere auctor et domus Editoria vel maxime honestantur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

E. NÈGRE. — *Les Noms de lieux en France.* Librairie Armand Colin, Boulevard Saint-Michel, Paris - Vc. Pag. 222.

Toponymia claris est multis nominibus interpretandis in linguis.

Hac autem commentationes toponymia gallica nomina locorum gallicorum eorumque sensus a clarissimo Litterarum Professore Ernesto Nègre explicantur.

Alii hujus generis libri exstant apud Gallos, ut Augusti Longnon, *Les noms de lieu de la France*, 1920-1929; Augusti Vincent, *Toponymie de la France*, 1937; Alberti Dauzat, *La Toponymie Française*, 1939.

Nuper autem rem de integro suscepit declarandam clarus vir E. Nègre in hoc toponymiae libro exarando. De argumento, de historia, de methodo, de divisione aptius in praefatione (pp. 5-14). Caput primum praecelticis nominibus dicatur (pp. 15-34). De celticis nominibus capite altero (pp. 35-57). Caput tertium est de «substrato» orientali (pp. 58-59). De nominibus latinis romanisve aut non romanis fusius in capitibus 4 et 5 (pp. 60-116). Voces dialectorum capite sexto explicantur (pp. 117-190). Gallica capite septimo expenduntur (pp. 191-201). Indice tandem alphabetico totales locupletatur in legentium commodum.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

CHADWICK, JOHN. — *The Prehistory of the Greek Language*. Volume II, Chapter XXXIX. At the University Press, 1963. Cambridge.

Agitur de recensita editione voluminum I et II nobilissimi operis, cui inscriptio «The Cambridge Ancient History». Quo vero facilius in legentium manibus sit opus ejusmodi ponderis, fasciculis subinde edetur. Completa alia autem fasciculorum editiones operi adjungentur. Opus ducibus et moderatoribus I. E. S. Edwards, C. J. Gadd, N. G. L. Hammond, evulgatur.

Fasciculus respondet capiti XXXIX, voluminis II, de praehistoria Linguae Graecae, cuius est summarium: 1. The Identification of Greek, p. 3. II. The Classification of the Dialects, p. 8. III. Historical Reconstruction, p. 10. Bibliography, p. 18.

Hujus fasciculi auctor est clarus vir J. Chadwick, litterarum classicarum bene meritus Professor. Res perspicue, ample, critice explicantur.

In librorum scriptoribus Professores Adrados, F. et Tovar, A. recensentur.

PHILIPONUS, C. M. F.

CUPAIUOLO FABIO. — *Un capitolo sull'esametro latino*. Libreria Scientifica Editrice, Napoli, Corso Umberto I. 38-40. 1963. Pag. 166.

Clarissimus latinae linguae magister F. Cupaiuolo nunc curam studium collocat in explicando versu hexametro latino. Auctoris propositum sic contrahitur: «Lo scopo prefissoci nella presente ricerca è lo studio del rapporto piede-parola nell'esametro latino, in particolare dell'esametro classico».

Librum quasi rationarium diceres: rem tamen propositumque absoluto modo perficit magister. En tibi libri conspectus: 1. Verba et pedes (pp. 9-26). 2. Verba terminationesque dactilicae et sponda in duabus primis sedibus versus (pp. 27-64). 3. Tertius spondaeus (pp. 65-80). 4. Pes quartus (pp. 81-106). 5. Hexametri finis (pp. 107-130). 6. Memoranda de «typologia» nonnullorum vocabulorum, quae in hexametro classico admittuntur (pp. 131-140). Reliquae libri paginae de bibliographia et indice analytico sunt (pp. 141-166).

Praeclari latinitatis Professores Victorius de Falco et Armandus Salvatore corpus moderantur cujus est index «Collana di Studi Latini», cuique hoc inseritur volumen.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

B. CALZAFERRI. — *Catullo: I carmi*. Scelti e commentati Edizione riveduta ed ampliata. Minerva Italica Editrice, via Maglio del Rame, 6 Bergamo. Pag. 212.

C. Valerius Catullus in lyricis carminibus scribendis, non solum suis aequalibus longe praestitit, sed praestantissimus fuit omnium Romanorum, qui hoc genus excoluerunt. Maxima animi acerbitate in corruptos mores invexit, ac Pompejum et Julium Caesarem mordacibus epigrammatis carpsit. Pro amicis vero scripsit dulcissima carmina, quibus vel cum ipsis lepide lusit, vel ipsis sua gaudia suosque dolores detegit.

Selectionem carminum Catulli, hoc libro clari viri B. Calzaferri, alumni latinitatis libenti animo degustabunt, quibus et artem poëticam vates percipere poterunt. Vitam, quam adulescens Romae

egerat, ipse poëta candide faletur: «Odi et amo. Quare id faciam, fortasse requiris Nescio, sed fieri sentio et excrucior» (Carm. LXXXV).

Ad XLV carmina in his anthologicis Professor Calzaferri perscienter explicat. De vita et numine poëtico Catulli fuisus in introductione. Unicuique carmini praedita scita rei explicatio; subsequitur ampla explanatio de grammatica, aesthetica, metrica, historia. Liber ex conquista typographica ratione maxime juvat.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

J. RUELENS. — *Cicéron: Pro Archia poëta.* Texte Questionnaire, Commentaire, Textes à rapprocher. Maison d'Editions Ad. Wesmael-Charlier (S. A.). Namur. Pag. XII-100

De scriptorum explicationibus agens, ingenuo auctor clarissimum virum Montaigne memorat, ex cuius sententia nihil aliud sunt ut plurimum «qu'inventions anciennes rapiées par cy par là». Propositum vero clari Professoris J. Ruelens, in hoc parando libello, sincere plaudendum, cum alumnis et latinitatis magistris maxima futurus sit utilitati.

Nobilis Tulliana oratio Pro Archia Poëta cotidiano in usu est in scholis latinitatis.

Hoc autem libello duce, alumnus in imam structuram imumque orationis sensum facilius penetravit. Multos auctor annos in instituendis alumnis egit, quo certo arcanis paedagogiae penetralibus faciem scienter preluit.

Sic vero liber disponitur: tabula synoptica, introductio, index nominum, textus cum ampliore explicatione, textus qui ad orationem Pro Archia Poëta referantur: id est de eloquentia, de generali

cultura institutioneque, de amore erga Graecorum humanitatem, de gloriae non minisque studio.

P. MAZON. — *Hesiodus: Opera.* Société d'Édition «Les Belles Lettres». Boulevard Raspail, 95, Paris, 1963, Pag. 114.

Ascraei poetae, tria tantum opera ad nos pervenerunt: Theogonia, Opera et Dies, Scutum. Cetera Hesiodi poemata perierunt. In his recensendi sunt praesertim Catalogi qui nomine EOIAI vulgo innotuerunt.

In hoc lepido libello, textus operum Hesiodi, una cum apparatu critico, editur, cui quidem recensendo operam navavit clarus vir Paulus Mazon, litterarum graecarum Professor bene meritus.

Omnes Hesiodi libri gloriam perennem sunt assecuti. Apud veteres ediscebant pueri poëtam, qui, tempore progrediente, haud minus enituit. Hesiodeorum librorum recensio, ut videtur, ad imperatorum romanorum aetatem est referenda.

Codices variam Hesiodi memoriam praebent; quam clarissimus editionis hujus auctor cujusque libri initio, probe exponit. Accurato vero indice nominum libellus completur, qui commodo usui certo erit graecitatis alumno.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

SEVERYNS, ALBERT. — *Texte et apparatus.* Histoire critique d'une tradition imprimée. Palais des Académies. Bruxelles, Pag. 374.

Hoc volumine quasi explicatur tomus IV operis clari Professoris A. Severyns, cui titulus «Recherches sur la

Chrestomathie de Proclo. Res majoris erat ponderis, ex autoris sententia; quo natum est hoc volumen, in quo historia traditionis impressae, textus graecus cum apparatu critico, conversio et commentarium de Proclo exhibetur.

Volumen arti criticae textuali omnino dicatur, ubi patientia benedictina super codices technicasque palaeographicas detegitur. Atque id merito, agitur enim de magistro uno in re peritissimo. Operi vero praecedit nota, «Extrait des Mémoires in-8° de l'Académie Royale de Belgique. Classe des Lettres. — Tome LVI, 2». Itaque sapientis ad sapientes exaratum opus.

PHILOPONUS, C. M. F.

J. LABAURT. — *Saint Jérôme: Lettres, tome VIII.* Société d'Édition «Les Belles Lettres», 95, Boulevard Raspail, 1963.

In operibus Sancti Hieronymi primum locum tenent «Epistulae», ex quibus ejus dicendi genus ejusque sanctissimam vitam magis cognoscimus. Pulcherrimae sunt epistulae ad Eustochium, de custodia virginitatis; ad Nepotianum, de vita contemplativa; ad Magnum oratorem, de relatione inter doctrinam veterum et Christianorum.

Officina libraria «Les Belles Lettres» octo adhuc edidit volumina de Epistulis Hieronymianis. Paravit volumen octavum clarissimus vir Labourt, vita nuperime functus. Ex quo totum opus recensuit curavitque edendum Professor H. Cazelles.

Continentur hoc volumine Epistulae CXXXI-CLIV, cum earum gallica conversione. En tibi Epistularum seriem: Augustinus ad Hieronymum, de Origine ani-

mae; Augustini ad Hieronymum, de sententia Jacobi apostoli; ad Ctesiphontem, adversus Pelagium; ad Augustinum, Innocentii Papae ad Aurelium, Innocentii ad Hieronymum, Innocentii ad Joannem, ad Riparium, ad Apronium, ad Cypriani presbyterum, de Psalmo LXXXVIII; ad Augustinum (duae), ad Alypium et Augustinum, episcopos; epistula Augustini, ad Optatum episcopum Milevitanum; ad Exuperatium, de Paenitentia; ad Evangelum presbyterum; ad Sabinianum diaconum, cohortatoria de Paenitentia; ad Riparium (duae), ad Bonifacium, ad Donatum.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

TRESMONTANT CLAUDE. — *Orígenes de la Filosofía Cristiana.* — DANIEL ROPS. — *Las fuentes de la vida de Jesús.* — ALAIN Hus. — *Las religiones griega y romana.* Editorial Casal i Vall, Andorra, 1963.

Ad nos pervenere tria haec volumina Domus Editricis Casal i Vall, cuius est quidem fortia aggredi, in evulganda christiana Religione. «La Enciclopedia del Católico en el siglo XX» YO SE-YO CREO, tanquam sociat, moderatore vero claro viro Daniele Rops, selectiores scriptores in diversis scientiae locis magistros eminentissimos.

Scriptor Tresmontant, in volumine undecimo, quasi synthesim originum Philosophiae christiana lectoribus praelibat. Primum libri caput est de radicibus biblicis metaphysicae christiana. Alterum vero de metaphysica creationis prioribus saeculis aetatis christiana. Tertium denique de antropologia christiana.

Praestantissimus vir Academiae Gallicae socius Daniel Rops, in septimo et

sexagesimo volumine, scite disserit de fontibus vitae Jesu. Ejusque opus ita procedit: I. Jesus, ut «persona» historica. II. Quare coaevi nihil de Jesu conscripere. III. Quid nos doceant manu scripta «Qumran» de adjunctis in quibus Jesus vitam egit. IV. Evangelium quasi fundamentum omnis cognitionis Jesu. V. Evangelium ante Evangelia. VI. Textus antiquitatis christiana pertinentes ad Evangeliorum originem. VII. Critica historica et vita Jesu.

Denique egregius scriptor A. Hus, in volumine centesimo quadragesimo secundo, erudite agit de religionibus graeca et romana. Ex quo duae libri partes: graeca et romana. Hinc, a) formationis periodus; b) religio graeca aetate archaica; c) periodus classica; d) periodus Helenistica. Deinde; a) Itala natura et religio etrusca; b) antiqua religio romana; c) romanae religionis transformationes; d) religio imperialis.

RONCONI A. — *Cicerone. Somnium Scipionis.* Introduzione e commento a cura di R. Felice Le Monnier, Firenze. Pag. 158

In libris a M. T. Cicerone conscriptis, quidam de re publica administranda sunt, alii de moribus, alii vero praecepta tradunt. In illis recensetur dialogus «De re publica», qui sex libris constabat. In sexto vero agitur de causis, quibus res publicae evertuntur, ac de rebus ad religionem spectantibus, ut tandem tanquam mirificum exodium, Scipio*nis somnium narret*, in quo doctrina de animi immortalitate exponitur, et ostenditur quanta beatitudine in superis fruituri, qui optime de patria meriti sint.

Hoc vero exodium, a Macrobio no-

bis servatum, in commodum latinam linguam excolentium explicatum voluit clarissimus Professor A. Ronconi, qui copiose in introductione disserit de opere «De re publica» ac praesertim de Scipionis somnio (pp. 9-40)

Postea libri de re recensetur (pp. 41-44); textus latinus cum criticis emendationibus exhibetur (pp. 45-56); per ampla explicatio instituitur (pp. 57-148), ut indices tandem nominum, rerum vocabulorum graecorum colligantur (149-158). Optimum ac perpolitum opus.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

RAITH OSKAR. — *Petronius ein Epicureer.* Erlanger Beitraege zur Sprach- und Kunsthissenschaft, Band 14. Verlag Hans Carl, Nurenberg. Pag. 84.

Decimum et quartum volumen in dissertationibus, quae eduntur, moderantibus Professoribus Universitatis Erlangenensis. Perpolitum opusculum de Petronio, ut Epicuri doctrinis addicto. Quatuor capitibus rem totam clarus vir O. Raith contrahit.

Proposito cursim in praefatione explicato (pp. 1-5), hic lucubrationis cursus: I. Epicurea de Natura doctrina (Petronius et Lucretius) (pp. 6-19). II. Epicurea Characterologia (Petronius et Philodemus) (pp. 20-27). III. Epicurea vitae sapientia (Petronius et Epicurus) (pp. 28-33). IV. Epicureus vitae sensus (Petronius et qui vulgo dicitur Epicureismus) (pp. 34-48).

Non nulla epilogi causa adduntur: librorum recensio, breviationes, indices (pp. 49-83). Doctrinae Epicuri cultores magni facient opus.

PHILOPONUS, C. M. F.



SCHOLARES LINGUAE LATINAEC COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Premium ad ADMINISTRATOREM: S. Antonio M.^o Claret, 37-39, ZARAGOZA

Constat in Hispania et America Hispanica: 25 pesetas; in Gallia: 3·50 francis; in Italia: 350 libellis; in Germania
2·5 marcs; in reliquis civitatibus: 0·80 dollaris.

ANN. X — (FASC. III) — N. 39

M. SEPTEMBRI

A. MCMLXIV

De Cicerone et Caesare scriptoribus

Omnis inter latinos scriptores oratione soluta (*prosa*), longe principes sunt Cicero et Caesar.

Cicero, singularibus investigandi ac dicendi facultatibus praeditus, reliquit in posterum philosophiae et artis dicendi opera maximi momenti, tum propter vividam representationem tum propter argumenta. Idem Cicero in arte epistolari maxime praestitit. Ejus enim epistulae exemplaria sunt jucunditatis ob numerum (*cadencia*) et elegantiae ac facieiarum sensus.

Caesar opera potius gessit quam scripsit. Attamen vel in ipsis bellis concurbationibus, optimos scripsit commentarios, qui sobrietatis ac concinnitatis in scribendo perenne monumentum merito habentur, cum ea floreat difficilis facilitas quae in classicis scriptoribus semper viget.

Vobis ergo, adulescentibus, qui latinarum litterarum iter ingredimini, ductores hi scriptores sint et amici; quibus comitantibus, facilis, jucundius scopum attingere possitis.

REYNALDUS PERESON
(III c. Gymnasii alumnus)

Rosarii (in Argentina)

VENIANT MURES...!

Vico cuidam Zapiro nomen erat. Quamquam hoc nomen felem, muribus hostem, sonabat, tamen vicum Zapironem mures edebant. Mures per agros currebant; per vias mures deambulabant; per scalas mures ascendebant; mures in laenarum (*gabán*) crumenis nidificabant; edebant mures in mappis; muresque tandem vicum Zapironem perturbabant, neque feles Zapironenses inveniabantur qui cum exercitu soricum certarent.

Quodam die, Trebontinus quidam, murnecans celsus, pinguis, populi praefectum adiit eique ait se omnes mures, si sibi darent quod postularet, necaturum.

—Omnia quae postules dabo tibi, domine Trebontine. Tu noster eris servator.

Cum Trebontinus in populum venit, eum cives omnes magnis vocibus clamoribusque reperunt, eique cibum exquisitum potumque tres dies praebuerunt.

Die constitula, omnis populus, ovidus vindendi quomodo Trebontinus mures necaturus esset, convenit.

Dominus Trebontinus gladium, magnum dolium, bipennem cepit. Induit petasum coqui, et cum omnes eum immotis palpebris inspicient, manu manum trivit, blande arrisit, intentisque oculis cives intuitus est et valida voce:

—Omnia, inquit, parata sunt. Nunc... veniant mures...! Afferte mihi quoscumque vultis omnesque ego necabo...

JOSEPHUS BELTRÁN

V cursus alumnus

Barbastri.

RUSTICATIONIS DIES

Hodie nos ad nostram villam perrexiimus. Prope illam currit fluvius qui dicitur *Secundus*; est latissimus sed parum altus, adeo ut nos sine ullo periculo lavemus et natemus.

Ubi pervenimus, coronam marialem recitamus ante simulacrum Mariae quae «*Flos Campi*» appellatur, ex sacro sacello venerandum nobis oblatum.

Postea pediludio certamus. Postquam vero cenam sumpsimus, domum laetantes redimus.

REYNALDUS BOSCH

III cursus alumnus

Rosarii (in Argentino).

QUERCUS ET ARUNDINES

Lenissimus flans ventus, arundines inflectebat. Tum iis querqus?

—Cum tan infirme sitis, inquit, nonne cupitis me validis meis ramis vos tegere?

Simul ac querqus haec dixit, magna horribilisque procella cororta est. Et cum inflecti querqus noluisset tempestatisque vis accresceret, querqus a radicibus subrata est; arundines vero se humiliter flectentes, salvae factae sunt.

EMMANUEL ALLOZA

DIES APUD ROMANOS

Priusquam ex Graecia primum horologium — anno quadringentesimo sexagesimo tertio ab urbe condita — Romam inductum esset, dies a Romanis in octo partes dispertebatur:

Media nox: tempus quo caligo maxime spissatur.

Gallicinium: cum summo mane, gallus canebat.

Diluculum: quo tempore sol, ab orbe finienti, primos lucis radios emittebat.

Mane: cum lux solis crescere incipiebat.

Meridies: cum sol rectus habebatur cunctaque luce sua collustrabat.

Vesper: tempus quod transibat a crepusculo vesperino dum prima appareret stella.

Crepusculum: cum lux tenebris pugnare videtur.

Concubium: tempus recedendi.

PETRUS RAMOS

LUPUS MEDICUS

Lupus medicus asinum infirmum visitatum ivit. Qui cum nunc hanc, nunc illam corporis partem contrectaret, lupus ab eo quaesivit quam presertim partem ei doleret. Cui asinus tristis.

— Illo, inquit, quam tu mihi contrectas.

MARCELLINUS GUTIÉRREZ
V cursus alumnus

Barbastri

CERTAMEN

QUID DE CICERONE SCIAS
OSTENDE

Qui ad interrogata rectius latine responderit, praemio donabitur.

- 1 — Ubi Cicero natus est?
- 2 — Quos annos agebat cum consul factus est?
- 3 — Quos libros Tusculi scripsit?
- 4 — Quis fuit Tyrus?
- 5 — Quod nomen Ciceronis filiae erat?
- 6 — Quo anno Catilinae conjuratio perfacta est?
- 7 — Ubi tertia in Catilinam oratio habita est?
- 8 — Quomodo Cicero interfactus est?

ACROSTICHUM

.	+	.	= Ideo
.	.	+	= Vaganti
.	.	+	= Allicio
.	+	.	= Is
.	+	.	= Intra
.	+	.	= Piger
.	+	.	= Adest

Puncta et stellulas litteris commuta, et in perpendicularum, praeclarissimi latini scriptoris nomen invenies.

LUPUS INCONSULTUS

Lupus quidam adeo fortis fuit et strenuus ut plurimum oblectamentum perceperit, ex eo quod ab omnibus animantibus leo vocaretur. Quam ob rem quodam die, parentes relinquens cum leonibus profectus est.

Sed vulpes prudens, cum eum in silvam intrantem videret, his verbis lupum admonuit:

— Lupe omice, inter lupos similis es leoni, sed inter leones lupus videris...

FRANCISCUS SALAS
V cursus alumnus

VERBA

**Quamvis itidem fere sonantia, vide quam
sensu dissimilia sint verba quae his ver-
siculis continentur:**

Ales hirundo canit, nat hirudo, movetur harun-
[do.]

Clava ferit, clavus firmat calvisque recludit.

Come comas, comes ire volens, comem induet
[vultum.]

Frontem dic capitilis, frondem dic arboris esse.

Ne confunde viros, vires virusque virumque.

Os oris loquitur, sed os ossis roditur ore.

Prunus habet prunum, prunam focus, aura prui-
[nam.]

Quos vicit, vinxit, dum vixit, barbarus hostis.

**Ex primis tantum litteris et contextu divina-
re poteris nomen munusque artium quas
dicimus liberales:**

GRAM loquitur, DIA verba docet, RHE verba
ministrat, MUS canit, AR numerat, GEO
ponderat, AST colit astra.

**Si apud amicos gloria frui vis tempora pree-
dicendi, illud memora hexametrum:**

Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.

HAS ACROSTICHIDES
DELIBA:

MORS

Mordet Omnia Rostro Suo
Mutatio Mirabilis
Omnimoda Oblivio
Repentina Ruina
Separatio Sempiterna

CICONIA

Candidus, lustus, (CI-)
Castus, Optimus (CO-)
Nulli Injuriosus Ales (NIA)

COR

Camera Omnipotentis Regis

EN ARTIFICIOSUM

ANAGRAMMA:

ABIS	ONUS
OBIT	ANUS
UBI	SONAT
TUBA	SION
TUA	NOBIS
ITA	BONUS

T O B I A N U S

LUDICRA

NONNE TE JUVAT EARUN-
DEM LITTERARUM REPETI-
TIO?

AUDI ERGO QUAE SE-
QUUNTUR:

Copia curas creat.

Fides fortior fatis.

Medicus morbo medetur.

Mors meta malorum.

Tempera tempore tempora.

Vera via vitae veritas.

Vi victa vis.

Vim vincit virtus.

Virescit vulnere virtus.

Fer firme, facilis
fiet fortuna ferendo.

Ventorum violas
violat violentia vere.

Perfer perpetienda,
parit patientia palmarum.

Facetus poëta sic de Ferdinando I cecinit:

Fernando fasces, fratris fastigia fortis,
Fortunaeque favor fausta que fata ferunt;
Frustra foedifragi flamma ferroque ferentur.
Fervorem frangent fortia fata ferum.

Foedifragos flamma frameaque furente feroce
Franget Fernandus, fasque fidemque feret.

Alius quoque festivus vates exclamat:

•**Celebrentur carmine calvi**•

Carmina clarisonae calvis cantate Camoenae.

Conducunt calvi cuneos certamine claros,
Compugnant calvi cristati casside coni.

Contorquent, crispant celeres cum caede cater.
[vas.]

Comprendunt cirros, contundunt calce comatos.

Cuspide confodiunt; capulo concissa corusco

Colla cadunt, celebrant calvi clamore celeusma.

Commotus certare catus certamine calvus.

Conculcat, caedit. Crinitos cedere cogit.

Captivos captat, captos cervice coartat.

GALLI PINGUIS FABELLA

Famulus quidam gregem curabat gallorum, quos cotidie largo cibo alebat. Ideo omnes pingues et nitidi erant praeter unum, ita macrum et corporis exiguum ut pellem tantum et ossa haberet; quare ceteri omnes illum et irridebant et illudebant.

Quodam die domus erus qui multos amicos ad cenandum invitaverat, coquo dixit:

- Cras tres ex pinguioribus gallis nobis ad cenam cum amicis parabis.
- Tum gallus macer, qui eri verba audierat:
- Cur, inquit, facetis qui me nuper illudebatis?
- Saepe pauperum vita tutior est quam divitum.

MARCELLINUS FONTS, C. M. P.

IV cursus alumnus

Barbastri.

SOCRATES ET DISCIPULI

Disc. Dic nobis, magister, Archelaus rex, est ne beatus?

Socr. Haud scio; nunquam cum illo locutus sum.

Disc. Nonne possumus alio investigare modo?

Socr! Non possumus.

Disc. Est rex Persarum beatus annon?

Socr. Neque scio, cum ignorem an probus sit necne.

Disc. Quem igitur vere beatum existimas?

Socr. Re vera, probi tantum sunt beati, improbi vero miseri.

Disc. Ergo Archelaus miser est?

Socr. Si improbus, utique; si probus, minime.

JOSEPHUS M. PULLEIRO

III cursus alumnus

Rosarii (in Argentina)

APUD MEDICUM

—Quid ut somnos expelles sumis?

—Coniaci (*coñac*) poculum una quaque hora...

—Idque tibi medetur?

—Minime, sed saporatum admodum est.

GREGORIUS NDONGO

alumnus Guineensis

—Quot praecepta in Decologo ponuntur.

—Decem, ni fallor.

—Optime. Quidque, si unum tantum perfregerimus, accidet?

—Simplex est responsum: novem manebunt.

JOSEPHUS A. LATORRE

AD SALTUM EQUULEI

	TRA	
VO	A	TAS
HIT		QUE
QUEM	LUP	SU

A syllaba *tra* salire incipe et Vergili sententiam invenies.

CAECUS ET TAURUS

Hispali quidam caecus stipem petebat. Quodam die, ecce taurus evasit, qui cum aliis mortem petebat. Magnum propter clamorem fugientium cognovit caecus periculum quod minabatur coepitque clamare:

—Nonne quis erit qui me ad parietem adducat?

Tum vero taurus ipse venit qui, eum cornibus percuiens, eo adduxit quo volebat. Caecus autem cum benefactor quis esset ignoraret, ei:

—Caveas, inquit, frater, quae so: ut me adduceres in parietem necesse non erant hujusmodi impulsione...

CAJETANUS GREGORIO

CORAM JUDICE

—Cur hanc raedem furatus es?

—Cum currus ad coemeterii januam esset, dominum ejus mortuum esse putavi...

ALFRIDUS SCHMITZ

IN AEROPLANO

Cum duae dominae in aëroplano avolarent, aéronautam vocaverunt eumque monuerunt:

—Ne aëroplanum celeriorem sono duxeris... Colloqui volumus...

STEPHANUS ESONO, C. M. F.
alumnus Guineensis

POST PEDILUDII CONCERTATIONEM

Finita pediludii concertatione, amicorum manus arbitrum apprehenderunt eumque in umeris extra campum duxerunt.


Cum judex rem miraretur,

—Nolite, inquit, incommoditatem ex me percipere...

Sed amici:

—Molestia minima est, duteus enim ad campum prope adest...


VACCA AQUAM POTANS



Cum puer vaccam aquam potantem vide-ret, patri dixit:

Vide, pater, quomodo vacca in lac aquam effundat...

Josephus LLAMAS, C. M. P.
Barbastri IV cursus alumnus



—Quo anno mortuus est
Vergilius?

—Incertum admodum est;
quia ipsem Vergilius
nihil de re in suis operi-
bus scripsit.

EMMANUEL SIMÓN

VERBORUM AENIGMATA

	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13
1													
2													
3													
4													
5													
6													
7													
8													
9													
10													
11													
12													
13													

Exaravit

DOMINICUS GUIMERÁ, C. M. F.
Philosophiae alumnus

Celsonae.

—Utinam scirem ubi moriturus sim!
—Cur?
—Quia eo nullo modo proficisceret.

ANGELUS PÉREZ

IN TRANSVERSUM. — 1. Colloces.
Quae gignit; 2. Vocalis. Moenia (vers. lit.)
Parum spissa. Vocalis; 3. Littera graeca
Summa (vers. lit.) Vescor. Praepositio; 4
Litus (vers. lit.) Avelle. Altare; 5. Faciei
(vers. lit.) Praepositio graeca. Aderas; 6.
Pelago. Consona. Filio (vers. lit.); 7. Perpo-
lire; 8. Certi. Vocalis. Vetula; 9. Pater om-
nium (vers. lit.) Abite. Aderas; 10. Humecto.
Homeri Opus. Nutrio (vers. lit.); 11. Littera
graeca. Dilige. Negotium. Atque; 12. Abi.
Patrem patris. Unco (vers. lit.) Vocalis; 13.
Stella.

IN PERPENDICULUM. — 1. Qui hostias
offert (acus. plur.) Soricis; 2. Vocalis. Elec-
træ filia. Eo. Vocalis; 3. Praepositio. (vers
lit.) Precare; 4. Evulgo. Praepositio; 4. Altare.
Siliqua. Fructus (vers. lit.); 5. Accipe. Odio
habeo. Petimus; 6. Miranda Vocalis. Pravi
(vers. lit.); 7. Praeclari; 8. Sus (vers. lit.)
Vocalis. Litora (vers. lit.); 9. Manducem
(vers. lit.); Ripa. Particula compositionis
verb.; 10. Agrum colo. Urbs cretensis. Vas-
culum (vers. lit.); 11. Sed (vers. lit.) Altare
Comburo. Particula exclamationis; 12. Vo-
calis. Naso (vers. lit.) Condimentum (ablat)
Consona; 13. Innatas. Satura.

—Quod est tempus ad poma colligenda
aptius?
—... Cum agricultae jam domum redie-
runt.

PETRUS RAMOS

BIBLIOGRAPHIA

DUCKWORTH, GEORGE E. — *Structural Patterns and proportions in Vergil's Aeneid*. The University of Michigan Press, Ann Arbor.

Vergilii opera illo disticho continentur: «Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc / Parthenope: cecini pascua, rura, duces». Triai gitur carminum genera vates colunt: bucolica, georgica, herōa. Aeneis vero potissimum P. Vergilii Maronis opus.

Innumerae adhuc editiones commentationesque sapientium de tanto poëtico monumento typis expressae, quibus certe aliae addentur. Clarus vir G. E. Duckworth, meritissimus Professor linguae latinae in Universitate Princetoniana, novum comparavit librum de Aeneide: *A Study in Mathematical Composition*. Quam minutissima anatomia operis, librorum, versuum, hemistichorum, vocabulorum... hic appareat. Monumentum diceres vel Aeneidos «rationarium».

En tibi libri merum indicem. I. The Architecture of the Aeneid (pp. 1-19). II. Structural Patterns in the Books (pp. 20-35). III. The Golden Section in the Eclogues and the Georgics (pp. 36-44). IV. The proportions in the Aeneid (pp. 45-67). V. The Value of the Proportions (pp. 68-102).

Consequuntur conclusio, appendices, tabulae, breviations, bibliographia, index (pp. 103-268). Neque libri moles omittenda: 28½ x 21½ cm.

Sapientium de opere laudes concordes et honoratissimae. Sic se habet, verbi gratia, Doctor J. A. Hanson, Universitatis Michigensis Professor emeritus:

«Duckworth has a fantastic ability for careful detail. He has attacked this subject with single-minded enthusiasm. The result is a book which has originality and stubborn fire».

U. LEPORE. - G. MARTANO. — *Il sommo bene*. Passi scelti del «De finibus bonorum et malorum». Edizioni «il Tripode», via Girolamo Santacroce, 5 F. 1962, Napoli. Pag. 210.

Dialogus «De finibus bonorum et malorum», in quo M. T. Cicero maximo acumine disserit quid de summo bono et de summo malo Epicurei, Stoici, Peripatetici, senserint, in ejus operibus de moribus longe praestat.

In primo exponit, et in secundo confutat, doctrinam Epicuri; in tertio verisimiliorem probat Stoicorum doctrinam; in quarto eam plene congruere cum Academicis asserit; in quinto copiose agit de Academicorum et Peripateticorum doctrina.

Clari latinitatis Professores U. Lepore et G. Martano hos selectos locos ad scholas linguae latinae apte appararunt. In singulis libris loci aptiores seliguntur, notae apponuntur, philosophica mens aperte enodatur.

Magni momenti est lucubratio quae in introductione prostat, in qua autores de Cicerone philosopho, et de vocabulis philosophiae moralis in libro «De finibus bonorum et malorum» uberrime disserunt. Liber alumnis linguae latinae, praesertim M. T. Ciceronis studiosis, utilis admodum erit. I. GONZÁLEZ, C. M. F.

G. S. KIRK. — *The Sons of Homer.*
At the University press, 1962.
Cambridge. Pag. 424.

In libris adhuc editis in Universitate Cantabrigensi praecipue eminent hic de Homeri canticis a praeclaro viro Kirk exaratus, in eadem Universitate litterarum graecarum Professor bene meritus. Liber acri ingenio auctoris ac labore praestat, in eoque totum poëticum Homeri opus ad trutinam disciplinae artisque criticae expenditur.

Sex vero partibus constat volumen. I. De historico fundamento poëmatis Homeri (pp. 1-52). II. Poëta oralis et in ea re methodi (pp. 53-102). III. Progessus oralis epicae apud graecos (pp. 103-156). IV. Utrum unus fuerit Homerus an multi (pp. 157-268). V. Evolutio atque traditio nobilis poëmatis Homeri (pp. 269-334). VI. De canticis eorumque qualitatibus (pp. 335-386).

Atque opus locupletatur notis criticis, tabulis geographicis, photographiis, appositis indicibus. Opus magni momenti quod procul dubio magni facient sapientes humaniorumque litterarum cultores.

PHILOPONUS, C. M. F.

DE ROSE, GUSTAVUS - PAOLILLO, MATTHAEUS. — *Cicerone: Romana sapientia.* Antologie delle opere oratorie, retoriche e filosofiche. Cassa editrice «Federico et Ardia» di A. e R. Federico, Napoli. Pag. 176.

Marcus Tullius Cicero ut orator, rhetor, philosophus legentium menti subicitur. Sedulo seliguntur, a claris viris Gustavo de Rose et M. Paolillo loci ciceroniani, de arte, de moribus, de cultu ciuium, de religione. Litterae institutionesque, sub aspectu ciceroniano, sollerter animis instillantur.

Introductione de vita, opere, mente M. T. Ciceronis omissa, hoc quasi compendium Ciceronis mentis auctores anthologiae perficiunt: «Il problema dell'arte» (pp. 37-70); «La società e lo stato» (pp. 71-110); «Il problema teologico e religioso» (pp. 111-138); «Etica» (pp. 139-170).

Textus sunt selecti multisque notis de re grammatica, historica, sociologica, religiosa explicati. Latinus textus valde est accuratus, ut plurimum, idem est atque editionis Teubnerianae, anno 1933 a Professore O. Plasberg vulgatae.

Carmina: MCMLXIII. — An Anthology of Latin Verses in the Masters of Liric, Epigram and Comedy. Edited and produced by H. H. Huxley, Reader in Latin University of Manchester. Printed by Wilding et Son Ltd., Castle Street, Shrewsbury. Pag. 52.

In hoc opusculo colliguntur ad sexdecim rationes versuum latinorum, qui rariores sunt in Scholis, Universitatibus, immo et in poësis anthologiis. In unum quasi fasciculum colligit haec carmina praeclarus vir H. H. Huxley, linguae latinae Professor.

Hinc anglicus prostat textus non nullorum scriptorum temporumque, inde vero latina interpretatio metrica quorumdam etiam auctorum. Raro ii versus usu veniunt apud hodiernos latinitatis cultores. Quod forsitan rem magis curiosam aestimatamque reddat, aut magis judicio perpendendam...

Juvat hic afferre illius vocis interpretationem «The Law is the true embodiment...»: Jus, si quaeritis, omniumst imago / quaecumque optima sunt et absolute: / nil illic vitii subestve mendi — / et tu, Rector, imago es ipse Juris.

A. MARQUÉS, C. M. F.